



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Libellus Sodalitatis: Hoc Est: Christianarum Institutionum Libri quinque**

**Coster, Franciscus**

**Antverpiæ, 1587**

Liber IIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46553](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46553)

283  
CHRISTIANARVM

INSTITVTIONVM

LIBER IIII.

CAPVT I.

DE CERIMONIIS ECCLIE  
*sic Catholica.*

**E**CCLIESIA Christi non solum voce vtitur ad Deum laudandum, sed etiam externis ceremoniis, quarum multae ab Apostolis acceptae sunt, vt docet

Ba filius; aliquae a posteris vtiliter adiectae. Cum enim ceremonia sit externa actio, effectum nullum externum producat; adhibetur tamen ad effectus spirituales, eosque multiplicat. Nam *primò* ceremoniis protestamur fidem nostram, vt fit, dum in supplicatione crucem, & Eucharistiae Sacramentum tanquam Christiani sequimur: dum Sacramenta in Romana Ecclesia suscipimus: dum Missae sacrificium audimus: dum imagines Sanctorum honoramus, dum Rosarium gestamus, &c. His enim externis signis declaramus, nos Christianos, Catholicos, seruos Christi, cultores beatissimae Virginis, aliorumque Sanctorum, &c.

2. Cerimoniis docemur ea, quae Spiritus sanctus in anima operatur. Cū enim corpus abluatur

luitur aqua Baptismi, discimus animam ab omni sorde peccati purgari : quando corpus speciebus panis in Eucharistia reficitur, intelligimus etiam animam ipsam caelesti pane nutrir: quando frons ab Episcopo Chrismate sacro inungitur, declaratur nobis animam interius spirituali vnguento confirmari: atque ita de reliquis Sacramentis.

3. Admonemur eorum, quæ nos pro officij nostri ratione agere debemus. Veluti Sacerdos tonsuram gestans, monetur primò, animam ad superiora sic intentum habere, sicut vertex capitis nudatus est & rasus: secundò, superflua hæc terrena omnia contemnere, atq. ex animo abiicere, sicut capilli, (qui superfluitatem significant) resecti sunt & rasi: tertio, dominari sibi, passionibusq. suis, adeoq. vniuerso mundo, cui tanquam Rex spiritualis præpositus est, accepto in capite diademate, vt loco Christi peccata dimittat vel retineat, populū doceat & instruat: immo Reges ipsos & Principes officij sui moneat & repræhendat. Idem sacerdos foris vtens pulla veste, in templis autem candida, monetur foris cū populis agere, ridere & rideri (vt ait D. Hieronymus) secularibus relinquere, sed aliorum peccata lugere: in templis autem non modo puritatem & calidorem animi adferre, verum etiam gaudium atq. lætitiā spiritualem, internamq. Spiritus consolationem sacris rebus adhibere, atq. eius percipere. Præterea, is qui orat, dum pedes tundit, dum manus coniungit & eleuat, dum

*Hier. 1.*

*Ad De-*  
*metriadē.*

humi procumbit, monetur quo animo in oratione esse debeat, nempe cōtrito, collecto, elevato ad Deum, & humili atque demisso, &c.

4. Magnam habent mouendi vim ceremoniæ Ecclesiæ. Quis enim Christianus, nō excitetur ad deuotionem, quando festis iolemnioribus audit sonorū pulsum campanarum, cantumq̄. suauem Ecclesiæ, videt totum templum illustratū luminibus, vestitum tapetibus, ornatum picturis, aliaq̄. preciosa supellectili? Aspicit deniq̄. ceremonias Missæ, deuotionem celebrantium, grauitatem & habitum ministrorum? Meritò existimare potest homo, eo tempore cælum aperiri (ait D. Chrysostomus) & se cum cælestibus conuersari. Sicut enim milites sonitu tubarū excitantur ad bellum: & sicut is, qui regē conspicit à nobilibus præstantibusq̄. viris regio more coli & honore affici, permouetur ad eiusdem admirationem & venerationem: Ita homo fidelis mirum in modum cōmouetur sacris ceremoniis, & accenditur amore cælestium rerum.

5. Cerimoniæ, quando debitè, atque vt par est, adhibentur, solent in animis efficere gratiam spiritualem, & auxilium cælestē, non tamen vno omnes modo. Primò enim quædam ex institutione Dei producant gratiam, vt septem Ecclesiæ Sacramenta. Secūdo, quædam ob preces Ecclesiæ, quæ à Christo sponso semper exaudiuntur. Sic aquæ benedictæ aspersio, vim habet, vti postea dicemus; & cærimoniæ, quæ in Sacramentorum administratione adhiberi

*Hom. 67.  
ad pop.  
Ant.*

hiberi solent, quas Theologi Sacramētales, aut Sacramentalia nominant. Tertiò, quædã ob deuotionem eorum, qui cerimoniis vtuntur profunt, veluti, manus in cætam attollere, pectus cum dolore peccatorum tundere, tres cereos ꝑ honorem Sanctissimæ Trinitatis accendere, &c. Tales enim externæ actiones, quando ad Dei gloriam referuatur, non possunt ingrata esse diuinis oculis, sed frequenter efficiunt, vt homo voti sui compos reddatur. Quartò, quædam, autoritate Ecclesiæ à Deo concessa, spirituales quosdam effectus operantur: vt, exorcismi, & exsufflationes Catechumenorum, Energumenorum. In his enim Sacerdos, pro potestate sibi collata, aduersus Dæmones agit.

## CAPVT II.

## DE MODO FORMANDI

*signum sancte crucis.*

<sup>a</sup>Exo. 17.  
<sup>b</sup>Lib. de  
 exhortat.  
 marty. ca.  
 8. & li. 2.  
 ad Quiri.  
 ca. 21.  
<sup>c</sup>Nu. 21.  
 Ioan. 3.  
 Ezech. 9.  
<sup>d</sup>Lib. 2.  
 ad Quiri.  
 cap. 21.  
<sup>e</sup>Hom. 8.  
 in diuer.  
 & Phil. 3.

**F**ORMATIO sanctæ crucis, antiquissima est cerimonia, ab Apostolis tradita, & in veteri etiam testamento præsignificata & figurata, <sup>a</sup> eleuatione manuum Moysis contra Amalech, vt ait D. <sup>b</sup> Cyprianus: serpen-  
 te <sup>c</sup> æneo, vt testis est ipsemet Christus: & signo Tau in frontibus dolentiũ atque gementium, sicut ante D. Hieronymum testantur <sup>d</sup> Cyprianus & <sup>e</sup> Origenes. Propterea indigne plerique hodie rem tam antiquam, & ab vniuersa Ecclesia vsurpatam, tanquam <sup>f</sup> inimici Crucis Christi, reprehendunt & reiciunt, aper-

apertè se ministros declarantes eius, qui ( vt ait beatus Ignatius ) hoc semper per omnes hæreticos molitur, vt crucis Dominicæ memoria aboliatur. Rectius illi agunt, qui in alio nullo gloriari quærun, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, conantes comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas & profundum eius. Hanc enim Diui Pauli sententiam veteres plerique; vt <sup>a</sup>Cyprianus, <sup>b</sup>Gregorius Nissenus, & <sup>c</sup>Augustinus, de mysteriis sanctissimæ crucis intelligunt. Quia in hoc signo crucis, Beati Apostoli nobis breuiter comprehenderunt præcipua religionis nostræ capita, ad quæ credenda, & apertè cognoscenda, Christiani omnes obligantur: vt sunt, sanctissima Trinitas, incarnatio, & passio Christi, remissio peccatorum, denique gloria cælestis. Quæ omnia tametsi disertè in Symbolo suo explicuissent, voluerunt tamen eadem sub compendio in hoc signo crucis comprehendere: partim propter rudiores, qui tardius memoriæ Symboli verba mandant: partim vt Christiani sapius sibi eadem illa omnia ob oculos ponerent, & quasi continuo mente versarèt: partim vt in actionibus omnibus suis, eorundem virtute se consolarentur, negocia aggredierètur, Dæmonem profligarent.

Nam quod ad sanctissimam Trinitatem attinet, verba ipsa nobis illam expressè declarant, dum dicimus: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. In nomine, non in nomi-

*Epist. 6.  
ad Phi-  
lippenses.*

*Galat. 6.  
Ephes. 3.*

*a Serm. de  
Passione  
Domini.*

*b Cateche.  
ca. 32.*

*c Epist.  
112. c. 13.*

*Epist.  
120. c. 16*

Vide In-  
nocentium  
3. lib. 2.  
de Alta-  
ri sacri-  
ficio. cap. 44

minibus: quia vnum est trium Personarū no-  
men, hoc est, virtus, honor, maiestas. Proprie-  
tates Personarū in signo ipso indicantur, dum  
Pater in fronte tanquā Trinitatis principium  
collocatur, & qui in has terras à nemine vn-  
quam sit missus: Filius in ventre, vt qui ex si-  
nu Patris in ventrem virginis descenderit,  
adeoq. in ventre ipso terræ, corpore sepultus,  
anima apud inferos, patres liberaturus. Spiri-  
tus sanctus, tertia in diuinis persona, tertio lo-  
co nominatur, sed inter Patrem & Filium me-  
dius ponitur, tanquā vtriusq. amor & nexus.

Incarnationis mysterium in eo significa-  
tur, quòd Filius per mediū Spiritus sancti lo-  
cum ad ventrem collocatur, nempe qui ex ca-  
elis per Spiritum sanctum delapsus, hoc est, so-  
la sua charitate, non nostris vllis meritis pro-  
uocatus, in vtero virginis Matris, ex purissimis  
eius sanguinibus corpus sibi aptauit.

Passio autem Dominica, cruce nō obscure  
intelligi potest: quæ crux vel tota manu, hoc  
est, quinq. digitis, ad quinque vulnera signifi-  
canda, formari solet: vel tribus, hoc est, polli-  
ce, indice & medio. Quia in hac passione,  
Christi quidem humanitas sola sustinuit, sed  
tota Trinitas operata est: Pater, qui Filio suo  
non pepercit, sed pro nobis omnibus tradi-  
dit illum: Filius, qui dedit semetipsum pro  
nobis: vt nos redimeret ab omni iniquitate.  
Spiritus sanctus, quia in hoc apparuit charitas Dei,  
quoniam Filium suum unigenitum misit Deum. De-  
niq. duobus digitis, indice & medio; ob duas  
nati-

Rom. 8.

Tit. 2.

3. Ioan. 4.

naturas, diuinam & humanam in vnica Christi persona; quæ Christi persona sic dolores sustinuit & mortem, vt licet sola humana natura dolores perceperit, & mortem gustauerit, dicatur tamen etiam Deus passus & mortuus; propter mirã vtriusq. naturæ in eadem persona coniunctionem. Monophysitæ heretici (vt refert Nicephorus) quod crederent vnicam in Christo naturam, vno etiam digito docebant formandum crucis signum. *Lib. 8. ca. 53.*

Cæterum Remissio peccatorum & gloria cælestis indicatur, quando non à dextero humero in sinistrũ; sed contrã à sinistro in dextrum manus transfertur. Qui enim eramus cum hædis ad latus sinistrum, peccatorũ sortibus fœtentes; Dominica cruce & passione trãsposti sumus ad dexterum latus cum ouibus, reconciliati æterno patri, accepta remissione peccatorum, & pignore seu arrha regni cælesti. *Matt. 25 Ephes. 1.*

CAPVT III.

DE VTILITATE FORMATIONIS Crucis.

**H**Oc signum Crucis, præter significationem iam dictam, & mysterium fidei, magnas prætereã habet utilitates. Est enim 1, Christianorum sancta oratio, qua Deum, sese signantes precantur, vt in actionibus omnibus auxiliũ eis suum præstare velit, non secus atque si dicerent: Domine, rogamus, per maiestatem Sanctissimæ Trinitatis,

T tis,



tis, per Christi incarnationem, passionem, & mortē, per omnia beneficia, quæ merito passionis Domini accepimus, vt in his, quæ aggressuri sumus, fauorē tuum nobis exhibeas. Quæ sane oratio tanto est efficacior, quanto maiora sunt illa, per quæ fit obsecratio.

2. Est oblatio, qua nos, nostraq. omnia, hoc signo crucis Deo offerimus, iuxta admonitionem B. Pauli: *Omne quodcunq. facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo & Patri per ipsum. & alibi: Sine manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia ad gloriā Dei facite.* Itaq. formando signum crucis, dicere, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, idem valet, atque: Hæc omnia, quæ modò facturus sum, cedant ad gloriā Sanctissimæ Trinitatis, in gratiarū actionē, pro Christi incarnatione, passione & morte, omnibusque beneficiis per eum collatis & conferendis. Hinc est, quòd Christiani ciuitates suas, publicas vias, & terminos, maxime verò domicilia, & loca Deo consecrata, hoc signo crucis munire consueuerint: ad declarandum & profitendum, in his locis quæcumque agantur, non nisi ad Dei Domini nostri honorē agi debere, vtpote cuius cultui, obsequio, & nomini sunt deputata. Hoc olim prædixit Esaias: *In die illa erit Altare Domini in medio terre Ægypti, & titulus Domini iuxta terminū eius, & erit in signum, & in testimonium Domino exercituum in terra Ægypti.* hoc est, Tēporibus Mæliæ, erigentur Altaria in Ecclesiis Ægyptiorum.

E. 4. 12.

rum, aliorumque Gentilium, qui nunc more Aegyptiorum persequuntur populum Dei; & cruces constituentur in viis & finibus eorum, ad palam omnibus significandum, Deum verum & Christum eius, in locis illis coli.

3. Est coniuratio quaedam Dæmonis, ad eum depellendum, eiusque vires frangendas: quasi dicatur: Per virtutem sanctissimæ Trinitatis, incarnationis, passionis, mortis, omniumque meritorum Christi, adiuro te Sathan, ne mihi in villo noceas. Sic docet B. Chrysostomus: Signum crucis imprimendum pectori, ad cohibendos prauos cordis & concupiscentiarum motus. Ita veteres sancti, Antonius, Hilarion, Iosaphat, cæteri que omnes, hoc signo crucis aduersus Demones uti solebant. quemadmodum in eorum historiis scriptum reliquerunt Arhanasius, Hieronymus, Damascenus, Theodoretus, Gregorius Turonensis, & quotquot de vita Sanctorum aliquid ediderunt. D. Augustinus fatetur, hoc signo frequenter morbos curatos. Eusebius Cæsariensis author est, Constantinum hoc crucis signo, quod ei in aëre subinde cum hac inscriptione apparuit, **IN HOC VINCES**, hostes omnes profligasse. Atque hæc res olim tam aperta per vniuersum orbem fuit, ut etiam ipsimet Ethnici, inimici crucis Christi, multum præsidij tum aduersus Dæmones, tum ad alias necessitates in signo crucis ponerent. Sicut de Apostata Iuliano Augusto refert D. Gregorius Nazianzenus, qui ab impiis idolorum sacerdotibus, ad Demones

*Hom. 88.  
in Matt.*

*Lib. 22.  
de Ciuit.  
Des. c. 8.  
Lib. 1. de  
vita Con-  
stantini,  
cap. 22.*

*Oratione  
in Iuliano*

consulendos, in specum malignis spiritibus refertâ adductus, horrore percussus, pro Christiana consuetudine, quam in Ecclesia didicerat, signo crucis se muniens, dæmones omnes fugavit. Narrat Zonaras, circa annû Domini 596. Turcas, dum graui fame premerentur, à quodam Christiano edoctos, signû crucis sibi impressisse, eorumque neminem fame periisse.

*Libro 3.  
Annalium,  
in Martirio.*

*In Liturgia Chry.  
Ser. 19. de  
sanctis.*

*Gal. 2.*

4. Hac crucis formatione excitatur spes nostra, & fiducia in Deum, de obtinenda remissione peccatorum, aliisque bonis. Hinc est, quod in templis & altaribus cruces erigantur, ut sciamus per crucifixum omnia petenda & impetranda. Hinc etiam in Sacramentis omnibus cruces adhibentur, nec sine cruce (ait D. Augustinus) quicquam sanctificatur: ut intelligamus, omnia nobis per crucem donata & impetrata, quæcumque à Deo donantur. Hinc crux in turribus Ecclesiarum, crux gestans gallum gallinaceum collocatur, ut peccatores, dum eminus crucem vident & gallum, memores peccati & poenitentiae Petri, & veniae per crucem obtentae, excitentur ad similem poenitentiam, & in spem erigantur impetrandae gratiae. Denique morituris exhibetur crux Domini, ut de suis meritis diffusi, eo potissimum tempore, quo grauius à dæmone ad desperationem tentantur, spem omnem suam reponant in crucifixo, hoc saepius repetentes: Christo confixus sum pro me: eiusque passione, sanguine & morte

oran-

orantes iuuari, & peccatorum omnium remissionem accipere.

5. Excitatur in nobis charitas, dum per hoc signum renouatur in animis nostris memoria passionis Christi; hoc est, tam exiguum & immensum beneficiū, vt cōprehendi à creatura nulla possit. Ita B. Paulus totus in amorem crucifixi raptus, non existimabat se aliquid scire, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. *Mihi autem absit (inquit) gloriari, nisi in* 1. Cor. 2. Gal. 6.  
*Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo: nempe, quia amoris crucifixi recordatione, vilescerat ei quicquid mundus amat & quærit.*

6. Excitamur ad imitationē crucifixi, iuxta Apostoli admonitionem, *Aspicientes in autorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, vt ne fatigemini animis vestris.* Heb. 12. Proinde in Sacramento Baptismi frequenter signum crucis imprimitur, vt qui sunt Christi, carnem suam crucifigant cum vitiis, & concupiscentiis: & in Sacramento Ordinis (vt ait B. Dionysius Areopagita) Presbyteris & Diaconis formatur crucis signū, quo sciant se sacris ordinibus initiari, vt exemplo Domini sui, bona multa faciant, & mala multa patiantur. Denique eadem de causa in publicis supplicationibus (sicut superius dictum est) crux Christi præfertur, vt recordentur Christiani, se sub crucis vexillo, Imperatori crucifixo militare, vitæque & moribus debere hanc crucem profiteri & exprimere. Et sacerdotes

ex officio prædicatores crucis, in pileo crucem gerunt, vt nulla re, nisi cruce tegantur & muniantur: His enim crux esse debet pro galea in certamine; pro vmbaculo in estu tétationum; pro signo militari in hac militia vite humane; pro vexillo quod ipsi tanquam Duces præferant cæteris Christianis.

Cæterum quã fuerit vñitata Veteribus formatio crucis, quantaq. deuotione Christiani etiamnum eam vsurpare deberent, docet omnium Veterum scripta, ex quibus pauca subiciemus. Tertullianus lib. de corona militis: Ad omnem progressum atq. promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcunq. nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.

Ephrem Edissenus lib. de pœnitētia cap. 3. Nos, fratres, postes nostros preciosa cruce & viuifica coronemus, dicentes cum Apostolo: *Gal. 3. Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Pingamus in ianuis atque in frontibus nostris, & in ore, & in pectore, atq. in membris omnibus viuificum signū: armemur insuperabili hac Christianorum armatura. Ea enim victrix est mortis, fidelium spes, lux orbis terræ, paradisi reseratrix, profligatrix hæreseon, Dæmonum expultrix, Monachorū adminiculum, firmamentum fidei, magna salutarisq. custodia, & gloria perpetua Orthodoxorum in æternum. Hæc, o Christiane, armaturam diebus singulis & noctibus, horis atq.

mo-

momentis, in omni loco circumferre non desinas, nihilq. sine ipsa perficias; sed siue dormias, siue iter agas, siue euigiles, siue operi insistas, siue māduges, siue bibas, siue maria nauiges, siue transmittas flumina, haec te iorica circumtege, membrāq. tua omnia salutari signo exorna atq. circumcinge, ne qua excedāt ad te mala. Hoc enim signo conspecto, aduersariae potestates conterritae trementēsq. recedunt. D. Hieronymus ad Eustochiū: Ad omnem actum, ad omnē incessum, manus pingat crucem. D. Augustinus in Psalmum 73. Iā in frontibus Regum preciosius est signum crucis, quā gemma diadematis. Idem in Psalmum 36. versu, *Quoniam brachia peccatorum conterentur*; ait: A locis suppliciorum, fecit transitum ad frontes Imperatorum *Qui tantum honorem dedit pœnis suis, quid seruat fidelibus suis?* Prudentius in hymno ante somnum:

*Fac, cum vocante somno  
 Castum petis cubile,  
 Frontem, locumq.ue cordis,  
 Crucis figura signet.  
 Crux pellit omne crimen,  
 Fugiuunt crucem tenebrae:  
 Tali dicata signo,  
 Mens fluctuare nescit.*

**P**RAECIPVAE quidē cerimoniae, quibus Ecclesia Romana in Sacramento Baptismi vti cōsuevit, ab ipsis Apostolis venerunt, vt testis est B. Dionysius Areopagita. Posteriores tamen nonnullas vtiliter adiecerunt, vt plenius hominibus per externa signa indicarentur, tam ea, quae Spiritus sanctus in animis operatur, quā ea, ad quae nos obligamur. Ad haec enim duo, referuntur cerimoniae omnes istae, nimirum ad significādos Baptismi effectus, & nostram obligationem nobis declarandam. De quibus multa, eaque praecleara ante septingētos annos Rabanus Maurus scripsit: & nos tum ex ipso, tum ex aliis nonnullis pauca etiam adferemus.

Ante omnia igitur, Baptismi materia, hoc est, aqua, ex Apostolorum institutione consecrari solet, vt aiunt <sup>a</sup>B. Dionysius Areopagita, <sup>b</sup>D. Basilus, & <sup>c</sup>D. Augustinus, infuso sacro vnguento: ad significandū, his aquis conferendam gratiā Spiritus sancti, ad peccatorū abluionem. Imponitur iisdem aquis cereus Paschalis, qui significat Christum, post passionem suam, nouo lumine, & glorioso corpore rediuiuum, quinq. splēdida vulnera, ceu quinque odoriferi thuris globulos gestantē. Quia per eius passionem, mortē & resurrectionem, potestas abluendi sordes peccatorum, est aquis concessa. Cæterum bis quotānis hic fons Baptismi

Cap. 2.  
Eccles.  
Hierar.

Lib. 1. in  
stit. cleri.  
cap. 27.

a Cap. 2.  
Eccles.  
Hierar.  
b Lib. de  
Spiritu  
sancto,  
cap. 25.  
c Tractat.  
118. in  
Ioan.

prismi consecratur: pridie Paschæ & Pentecostes (qui dies olim baptizandis Catechumenis deputati erant) quia Christi mors & resurrectio & Spiritus sancti gratia in Baptismo operantur.

Quod verò attinet ad ritum Baptismi: primò defertur baptizandus ad fores Ecclesiæ: quia in domum Dei non meretur ingredi, qui peccatorum sordibus est conspurcatus. *Domum enim Dei decet sanctitudo, in longitudinem dierum.* *Psal. 92.* Atque hoc loco catechizatur & exorcizatur; hoc est, proponitur ei fides Ecclesiæ Catholice, vt sciat quid sit in posterum credendum: & variis orationibus adiuratur dæmon, adhibita etiam lectione Euangelij, & exufflatione, per quam depellitur Diaboli potestas inimica (ait D. Augustinus) qui hætenus infidelem possedit. Deinde imprimitur crucis signū fronti, *Lib. 1. de symb. cap. 1.* pectori, oculis, auribus, aliisq. sensibus: vt sciat primò, Sacramento Baptismi in animam imprimi signum Christi, hoc est, characterē indelebilem, quo etiā In die iudicij fuisse Christianus agnosceretur. Secundò, aperiri sensus omnes, ad agnoscendum verum Deū & Dominum Iesum Christum. Tertiò, omnibus sensibus & potentiis, Christi fidem & Catholicam religionē esse palam profitendā. Quartò, Christiano homini esse non dæmonis, sed Christi crucem ferendam. Christianam enim vitam non esse deliciis plenam, sed laboriosam: ac proinde non esse mirandum Christiano, si in hac vita multa tristitia & aduersa patiatur:

T 5 tur:



tur: quòd ista sit vocatio nostra. Quintò: corpus ipsum effici habitaculum Spiritus sancti: quia ex signo externo præfixo domui cognoscitur, quis in ea habitet, & quid operis in ea agatur. Postea datur degustandum sal benedictum: ad significandum Primò: quòd à putredine & fœtore peccatorum omnium liberetur, vt à vermibus peccatorum ultra nõ putrefiat, sed magis illæsus seruetur, ad maiore gratiam percipiendam. Secundò, quòd ipsi gustus detur rerũ spiritualium, ne illa post hac insipida sint ei, quæ in Ecclesia traduntur; sed potius delectetur, videat & gustet, quàm suavis sit Dominus. Tertiò, quòd veram accipiat & diuinam sapientiam, in omnibus actionibus adhibendam, ne quid imprudẽter, temerè aut irreligiøsè agat. Sal sapientiæ (ait Beda) quò initiatur Catechumeni, in cunctis operum nostrorum sacrificiis offerre iubemur. Quartò, quòd per gratiã Baptismi, etiã corpus ipsum liberabitur aliquando ab omni corruptione.

2. His peractis, inducitur baptizandus in Ecclesiam, vbi initio tanguntur à Sacerdote nares & aures salua, prolatis Christi verbis, quibus aures & linguã surdi & muti tangens vterque est, Epheta, quod est, aperire: tali contactu significãdo, Primò: quòd iam verum ac viuum efficiatur Christi membrũ, cũ reliquo corpore capiti adhærens. Secundò: quòd aures interne aperiantur, ne ad diuinas promissiones, cõminationes, aut admonitiones obsurdescat, sed facillè intelligat vocẽ Domini & Pastoris sui,

iuxta

*Concil. 3.  
Carthag.  
cap. 1.*

*Lib. 2. in  
1. Esdra,  
cap. 7.*

*Marc. 7.*

*Amb. lib.  
1. de sa. I  
era. ca. 1.*

iuxta illud, *Oues mee vocem meã audiunt: vt no-* *IOAN. IC.*  
 rit discernere vocẽ pastoris à voce alienorum,  
 & Spiritum Christi à spiritu pseudopropheta-  
 rum: atq. vt audiat mandata Domini sui, eaq.  
 in intimo cordis reponat. Nares etiam attinguntur,  
 vt aperiãtur ad percipiendum odorem  
 notitiã Dẽi; vt ex creaturis non fœtorem &  
 noxium odorẽ hauriat, sed suauẽ & salutarem  
 animã; hoc est, vt Deum in omnibus creaturis  
 agnoscat, illis non nimis adhæreat, illas nõ ad-  
 miretur, vel magni faciat, sed pro creaturis, re-  
 bus caducis & perituris habear: in qua re sita  
 est vera & Christiana scientia. Tertiõ; quòd  
 sicut Christus cæcum illum à natiuitate, luto *IOAN. 9.*  
 ex salua oculis imposito, ad aquas Siloẽ ab-  
 luendum misit: ita baptizandus, sordibus pec-  
 catorum infectus & conspurcatus, ad Baptis-  
 mum lauandus mittatur. Postea sequitur  
 abrenũciatio, de qua B. Hieronymus: *In my-* *In Arisob.*  
*steriis (inquit) primũ renũciamus ei, qui in* *6.*  
*occidente est, nobisq. moritur cũ peccatis, &*  
*sic versi ad orientem pactum inimus cum sole*  
*iustitiã, & ei seruituros nos esse promittimus.*  
 Et B. Augustinus; Renunciemus Diabolo, an-  
 gelis, & pompis eius. Hoc audistis, hoc & vos *Lib. 2. de*  
*symb. ad*  
*cate. c. 1.*  
 professi istis, renunciare vos Diabolo, angelis,  
 & pompis eius. Videte, dilectissimi, quia hanc  
 professionem vestram in Curiã profertis an-  
 gelicam, nomina profitentium in libro exci-  
 piuntur vitã, non à quolibet homine, sed à  
 superiore cælitus potestate. In die baptisma- *Hom. 20.*  
 tis, ait B. Gregorius, omnibus nos antiqui ho- *in Euan.*  
 stis

ftis operibus atq. omnibus pompis abrenunciare promissimus. Itaq. vnusquisq. vestrū ad considerationē suā mentis oculos reducat, & si seruat post Baptismū, quod ante Baptismū spopōdit, certus iam quia fidelis est, gaudeat. Et D. Ambrosius: Quando te interrogauit Presbyter: Abrenuncias diabolo & operibus eius? quid respondisti? Abrenuntio. Abrenuntias sæculo & voluptatibus eius? quid respondisti? Abrenuntio. Memor esto sermonis tui, & nunquam tibi excidat tuæ series cautionis. Si chirographum homini dederis, teneris obnoxius, vt pecuniam eius accipias, teneris adstrictus, & reluctante te scenerator adstringit, atq. illic tua cautione conuinceris: vbi promiseris cōsidera, vel quibus promiseris. Leuitam vidisti, sed minister est Christi, vidisti illū ante altaria ministrare. Ergo chirographū tuum tenetur non in terra, sed in cælo. Ista renuntiatio ob id ab omnibus catechumenis ante Baptismum instituitur, vt sciant Christiani, non esse solorum Monachorum aut Religiosorum renunciare sæculo, sed hanc esse omniū Christianorum professionē, vt non sint de hoc mundo, sicut & Christus non fuit ex hoc mundo: deserant & oderint mundū, atq. omnia que mundo sunt; vt cor sursum habeant ad Dominū, expectantes beatā spem & aduentū gloriæ magni Dei. Atq. hanc professionē tā esse propriam & intimā Christianis, vt qui eam negligit, non minus censeatur reus, quā religiosus violās professionē suam. Deinde vngitur oleo

*Lib. 1. de  
Sacram.  
cap. 2.*

*Ioan. 17.*

*1. Ioan. 2.*

*Tit. 2.*

sanctificato in pectore & scapulis: 1, Vt sciat, se quasi Christi athletā (ait Ambrosius) quasi luctamen huius sæculi luctaturum: solēt enim luctantes inungi. 2, Vt nullæ reliquæ latentis inimici (inquit Rabanus) in eo resideant. pe-  
 nerrans quippe oleū, significat etiam interiora quæq. curari. 3, Vt sciamus, Baptismi gratiam non nostris meritis; sed Christi beneficio & gratuita misericordia donari, quæ per oleum significatur, iuxta illud Psalmistæ. *Impinguasti in oleo caput meum.* 4, Quia oleum est medicamento species (siquidem Samaritanus infudit in vulnera oleum & vinum) per hanc vnctionem significatur, interna vulnera animæ nostræ, hoc est, passiones, & noxias infirmitates hac medicina curari; fomitemq. ipsum, quantumuis non omnino extinguatur, at certè debilitari & frangi: viresque & robur spirituale nobis addit, tentationes omnes dæmonis & carnis repellēdi, iuxta illud: *Peccatum vobis non dominabitur: quia non estis sub lege, sed sub gratia.*  
 Qua de re pulchrè<sup>a</sup> Lactantius Firmianus, <sup>b</sup>Cyprianus, & <sup>c</sup>Augustinus, qui huius rei experientiam mirabilem tum in seipsis, tum in aliis referunt. Olim quidem (vt testis est B.<sup>d</sup> Dionysius Areopagita) inungi solebat totum hominis corpus: nunc autem solum pectus cum scapulis. Pectus quidem: vt intelligamus, mentem ipsam seu cordi uina virtute corroborari: Scapulæ verò: quia datur homini robur, ad iugum Christi ferendū. Antè inungitur & retrò: vt vndique muniatur & confirmetur,

Lib. 1. de  
Sacram.

cap. 2.

Lib. 1.

instit. cler.

cap. 27.

Psal. 22.

Luc. 10.

Rom. 6.

a Lib. 3.

diuin. In-

stit. ca. 26

b Lib. 2.

epist. 2.

c Lib. 4.

confess.

cap. 4. &

lib. 9. ca.

1. 4. & 6

d Cap. 2.

Eccles.

Hier.

*Mar. 16.* metur, ad opera bona præstanda, corde & corpore, voluntate & opere.

*In Clement. de summa Tri. & fid. Catho. cap. 1. Extra de Bapt. & eius effec. cap. 3.* 3. Venitur ad fontē Baptismi, quo in loco examinatur catechumenus de fide orthodoxa, trina interrogatione, iuxta tres in diuinitate personas. Vt sciat, Primò: sine recta fide Baptismum nihil prodesse. Nam qui crediderit & baptizatus fuerit, hic saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Secundò: hoc Baptismi Sacramentū sic esse & dici Sacramentum fidei, vt per illud infantibus virtus fidei infundatur, & adultorum fides gratia Dei illustretur, formetur, & in virtutem perficiatur. Vbi vel adultus per se, vel susceptores pro infante tertio respōderint, Credo: vt multiplicem lapsum (inquit Ambrosius) superioris ætatis absoluat trina confessio: & item sacerdoti interroganti, Vis baptizari? responderint, Volo; confertur Baptismi Sacramentū, corpus abluēdo, & cor ipsum purgādo ab omni peccato, lauacro aquæ, in verbo vitæ, inuocato nomine sanctæ Trinitatis: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Postquam abluōnē, (in qua consistit ratio huius sacramēti) inungitur à Presbytero in vertice sacro chrismate, hac oratione, quam ad verbum recitat D. Ambrosius, Deus Pater omnipotēs, qui te regenerauit ex aqua & Spiritu sancto, concessitq. tibi peccata tua, ipse te vngat in vitam æternam. Idē, ex ordinatione B. Syluestri, vt ait Rabanus: tum vt Christianus sciat, se Spiritus sancti gratiā

*Lib. 2. de Sacram. sup. 7.*

*Ephes. 3.*

in hoc fonte accepisse, qui columbæ specie in  
 Christum Dominum baptizatum descendit;  
 tum vt intelligat, se iam inunctū interna gra-  
 tia, & externo chrismate, merito posse vocari  
 Christianum. Deinde sacerdos baptizatū in-  
 duit candida veste, vel (si infantulus est) regit  
 caput velo candido, his verbis: Accipe vestem  
 candidam, sanctam & immaculatā, quā per-  
 feras ante tribunal Domini nostri Iesu Chri-  
 sti, vt habeas vitam æternam, & viuas in sæ-  
 cula sæculorum, Amen. Quæ vestis significat  
 Primò puritatem animæ & iustitiam, qua ani-  
 ma iam ab omni sorde peccati purgata, tan-  
 quam candidissimo vestimento, induitur. Iu-  
 xta illud: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamētis vestris.* *Ezech. 36*  
 Secundò: Libertatē Christianā, quā hoc Sacramē-  
 to sumus assequuti, erepti de tenebris carce-  
 ris, & immani seruitute Diaboli. Tertiò: Læ-  
 titiam internā & gaudiū spiritus. Sicut enim  
 vestis pulla, est signū tristitiæ; ita vestis can-  
 dida significat gaudiū. Quartò futurā re-  
 surrectionem, ad quam per Baptismi Sacra-  
 mentū ius & pignus accepimus. Quintò: In-  
 nocentiā Christianā, (ait Rabanus) quā post *Lib. 1. de*  
 ablutas veteres maculas, studio sanctæ cōuer- *inst. cle.*  
 sationis immaculatam seruare debemus, ad *cap. 29.*  
 præsentandū ante tribunal Christi. Quia ta-  
 lis exigitur à Christo, tam pura & nitida, tam  
 ab omni sorde & puluere aliena, qualis data *Apoc. 21.*  
 est in hoc Baptismi Sacramento. *Nihil enim co-*  
*inquinatū, aut immundū in regnū illud ingredietur.*  
 Vete-

Veteres solebant toris octo diebus, à sabbatho Paschæ vsque ad sabbathum sequens post Baptismū, cādidiis vestibus uti (vnde etiā sabbathū & Dominica in albis nomen habēt) ad inculcandā nobis vitę puritatē, quæ Christianos, p̄t tanta dona à Christo percepta, decet. Rabanus mystici illius veli candidi, quod infantibus baptizatis imponitur, etiā hanc dat significationē: Ut (ait) intelligāt, se diadematis Regni, & sacerdotalis dignitatis portatores, iuxta Apostolum: *Vos estis genus regale & sacerdotale, offerentes vosmetipsos hostiam viuam, sanctam, Deo placentem*. Nam sacerdotes in veteri testamēto, quodam mystico velamine caput semper ornabant.

Postremo omniū, porrigitur baptizato cereus ardens, hisce verbis: Accipe lampadē ardentem, irreprehensibilē, custodi Baptismum tuū, serua Dei mandata; vt cum Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei, vna cum omnibus sanctis, in aula cælesti, habeasq. vitam æternā, & viuas in sæcula sæculorū, Amē. Vade in pace, & Dominus sit tecum, Amen. Quo cereo significantur tres Theologicę virtutes, quæ baptizato per Sacramētum infunduntur: fides in lumine; charitas in calore; spes in cerei recta altitudine, quæ ex imo sursum ascendit, sicut spes nostra ad cælos vsq. erigitur, & nos erigit. Cæterū hic cereus datur gestandus manibus: quia non sufficit corde fidē, spē & charitatem retinere, nisi etiam operibus

2. The. 1. prodamus & exeramus: memores (ait Apostolus)

Lib. 1. de  
instit. de.  
cap. 19.

2. Pet. 2.

lus) operis fidei vestræ (id est operosæ fidei) & laboris charitatis, & sustinētia spei. Ideoq. his virtutibus instructi iubemur ire in pace, hoc est, non ociari, non quiescere, non contenti esse his, quibus donati sumus; sed operari, *Rom. 6.* progredi de virtute in virtutem, ad anteriora nos extendere, & in nouitate vitæ ambulare. Et sicut nobis in Baptismo cereus datur, ita egressuris ex hac vita redditur, vt eo tempore tali signo protestemur, (quando verbis non licet) nos Christi fidē inuiolatā retinere, charitatem amplecti, & spe bona fulciri, optareque, quod in nobis est, Christo sponso nostro occurrere, cum sapientibus virginibus, gestantes lampades ardentibus manibus nostris, nempe propositum firmum Deo placendi & seruiendi. *Matt. 25.*

Habet porro etiam hoc antiqua Ecclesiæ consuetudo, vt in sacramēto Baptismi, nomen imponatur: quod olim in veteri lege, in circūcisione vsitatū fuit: nēpe vt mutata religione, mutetur & nomen, iuxta illud Psalmistæ, *Psal. 15.* *Non congregabo conuenticulū eorum de sanguinibus, nec memor ero nominū eorū per labia mea, id est, Sicut in Ecclesiis Christianorū mutabitur ritus sacrificiorum, vt iam non offeratur aliquid cum sanguinis effusione: ita erit & mutatio nominum, vt qui prius nomina sortiebantur consentanea religioni suæ, siue Gentilismo, siue Iudaismo: nunc habeant nomina Sanctorum, qui in Ecclesia virtutibus præcellerunt. Quare ex re discimus, cuiusmodi nomina sint baptizatis imponenda; nimirum Sanctorum nouæ legis,*

V legis,



legis, non autem Gentiliū, aut Iudæorū. Idēq. propterea, vt taliū vitā & mores sibi Christiani imitādos proponāt: tū vt patronos in celis habeant eos, quorū nomina gerunt in terris.

Cap. 2.  
& 7.  
Eccles.  
Hierar.

Susceptorum officiū in Ecclesia antiquissimum, constat, ex Dionysio Arcopagita, in eo fuisse, vt susceptor, quem Patrinū vocant, susceptū in his, quæ fidei nostræ sunt, instituat. Sicut enim in naturali ortu hominis, nemo sine parente nascitur, & natus pædagogō traditur erudiendus: ita Ecclesia, mater Christianorum, vbi Christo aliquem genuit Bapismo, sedulo curat, ne ei desit institutor aut pædagogus: & non contenta parentibus carnis, qui sepē filios ad suam consolationem, non ad spiritualem eorum vtilitatem diligunt, iuxta

Mat. 10.

sermonem Domini; *Inimici hominis, domestici eius*: prouidet eis de aliis institutoribus. Quorum officium est primo, pro infante ipso respondere, mundo renunciare, fidem profiteri,

Dionys.  
cap. 2.  
Eccles.  
Hier.

ita planē vt per os susceptoris infans loqui censeatur, & sese obstringere. Secundo, sese obligare ad institutionem infantis, ipsique Ecclesie testari & fide iubere, se omnem daturus operam, vt infans iste, vel etiam adultus, in his quæ sunt Christianæ religionis, erudiat. Notanda est insignis admonitio D. Augustini:

Ser. 163.  
de sermone.

Hoc itaque admoneo, fratres dilectissimi, vt quoties Paschalis sollemnitas venit, quicumque viri, quæcunq. mulieres de sacro fonte filios spiritualiter exceperunt, cognoscant se pro ipsis fidei iussos apud Deum extitisse.

& ideo semper illis sollicitudinem veræ charitatis impendant, & admoneant, vt castitatem custodiant, virginitatem vsque ad nuptias seruent, à maledicto vel periurio linguam refrenent, cantica turpia vel leuissima ex ore non proferant, non superbiant, non inuideant, iracundiam vel odium in corde non teneant, &c. Similia habet sermone 215. de tempore, vbi susceptores monet, vt spirituales suos filios, Apostolorum Symbolum, & Orationem Dominicam doceant. Nam nescio (ait) qua fronte se Christianum dicat, qui paucos versus in Symbolo, vel in Oratione Dominica parare dissimulat.

Ex his facile colligi poterit, qui nã sint effectus, qui in anima hominis per Sacramentum Baptismi producuntur.

- 1 Character indelebilis imprimitur.
- 2 Peccata omnia qualiacunque & quantacunque dimittuntur.
- 3 Remittitur omnis pœna peccatis debita.
- 4 Pellitur ab homine Dæmon.
- 5 Diminuitur vis fomitis & concupiscentiæ.
- 6 Anima prius mortua accipit vitam.
- 7 Homo efficitur membrum Ecclesiæ sub capite Christo, accipiens eundem spiritum, quem habet Christus.
- 8 Anima induitur interna iustitia & splendore mirabili.
- 9 Efficitur filius Dei, per inhabitantem gratiam & Spiritum sanctum.

10. Veram accipit libertatem ab omni seruitute diaboli & peccati.
11. Sensus omnes interni aperiuntur, ad cognoscendum & gustandum Deum, & <sup>o</sup>s diuinas: creaturas autem æstimandas tanti, quanti sunt.
12. Infunduntur virtutes omnes Theologicae & Morales.
13. Datur robur & auxilium ad rectè viuendum.
14. Infunditur animo interna lætitia & gaudium spiritus.
15. Datur ius ad vitam æternam & Regnum cælorum.
16. Corpus ipsum fit domicilium Spiritus sancti.
17. Corpori promittitur immortalitas, impatibilitas claritas, agilitas, aliaq. dona in resurrectione conferenda.

## CAPVT V.

## EXPLICATIO CERIMONiarum &amp; effectuum Sacramenti Confirmationis.

**S**ICVT Baptismi Sacramento generatur homo per aquã & Spiritum sanctum, vt sit Christianus: ita per Sacramentum Confirmationis adolescit homo, & perficitur in virum, vt sit plenus atq. perfectus Christianus, sicut B. <sup>a</sup> Clemens & <sup>b</sup> Virbanus loquuntur. Quia (ait <sup>c</sup> Melchiades) in hoc mundo tota ætate victuris, inter inuisibiles hostes, & peri-

<sup>a</sup> Epist. 4.<sup>b</sup> Epist. ad omnes fideles.<sup>c</sup> Epist. ad Episc. Hisp.

pericula gradiendum est: in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum cōfirmamur ad pugnam: in Baptismo abluimur, post Baptismū roboramur: Spiritus sanct⁹ in Fonte plenitudinē tribuit ad innocentia, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam. Nunquid prodest, si quisquā parentum magnam pupillo conferat facultatem, nisi prouidere studeat & tutorem? Itaq. Paracletus regeneratis in Christo custos & consolator & tutor est.

Hoc porrò Sacramētū diuersis modis Apostolorum temporibus traditum esse legimus. Nam primò in die Pētecostes, sine vllō hominis ministerio, per se Spiritus sanctus in Apostolos delapsus est, visibili specie linguarū & ignis. Secundò, per solam manuū impositionem descendit in simili forma Spiritus sanctus. Tertiò, per sacri Chrismatis vnctionem (vt author est B. Dionysius Areopagita) contulerunt hoc sacramētū Apostoli, quos Christus (teste \*S. Fabiano) docuit in vltima cœna Chrisma conficere.

*Actor. 2.*

*Actor. 3.*

*Cap. 4.  
Eccles.  
Hierar.  
\*Epist. 2.*

In quo Sacramento ex Christi institutione & Apostolica traditione, hoc primò obseruatur, vt solus Episcopus sit ordinarius minister: quia de solis Apostolis legitur (quorum vicem tenent Episcopi) quod per manus impositionem, Spiritū sanctū dederint. Cuius rei causa est: quia Confirmatio est perfectio Christiani hominis. Atqui supremæ authoritatis & potestatis est, vltimā perfectionem operi addere:

*Concil.  
Florent.*

V 3 quia

*Ephes. 4.  
Col. 1.*

quia in omni arte fieri videmus, vt opus, quod rudior inchoauerat, peritior perficiat. Discunt ergo ex hac re Christiani, se non paruulos esse, neq. circumferri debere omni vento doctrinae; sed stabiles esse atque immobiles à spe Euangelij, postquam per manū Episcopi confirmati sunt atque perfecti.

*Lib. 1.  
epist. 12.*

Secundò obseruatur, vt materia Sacramenti, hoc est, Chrisma, Episcopali benedictione consecratur: Oleum (inquit B. Cyprianus) vnde baptizati vnguntur, in altari sanctificatur. Quod ex Apostolica traditione ad nos venisse docet B. Basilius, nepe vt significetur omnem perfectionem à Christo proficisci, cuius personam Episcopus tanquam Ecclesiae suae caput, expressius quàm alius priuatus Sacerdos gerit. Consecratur autē non quouis tempore, sed in die coenae Dominicae: tum quia illo die (sicut iam dictū est) Christus ritū consecrationis docuit: tū quia ex Dominica passione, quae illa nocte initium habuit, hoc Sacramentū, quemadmodum & alia omnia, profluxit.

*Li. de Spirit. sanct.  
cap. 27.*

Tertiò, haec materia nō est simplex liquor, sed vnguentū compositum atq. commixtum ex oleo oliuarum & balsamo. Oleum (inquit Concilium Florentinum) nitorem significat conscientiae: balsamum, odorem bonae fama. Præterea oleum designat gratiam Spiritus sancti: balsamum, quia odoriferum, professionem fidei B. Cyprianus dicit, ob id hos duos liquores misceri, vt significetur nos reges esse & sacerdotes. Imprimatur autē hoc sacro vnguento

*Serm. de  
coena Domini.*

gumento fronti signum crucis, vt ne erubescamus fidem crucifixi publicè profiteri. Hic igitur significatur per Confirmationis Sacramentum: Primò, in anima Christiani hominis imprimi nouum signum seu characterem, quo post hanc vitam ab omnibus fuisse confirmatus agnosceretur. Secundò, dari copiosam Spiritus sancti gratiam, qua non solùm sine onere (inquit D. Augustinus) sed etiam cum iucunditate, legem possis implere, quæ data est Iudæis in decem præceptis, quæ appellantur Decalogus. Tertiò, conferri audaciam profitendi fidem, tum verbis, tum sancta vita; & robur aduersariis omnibus resistendi, partim externis, vt temporibus hæreticorum, & in simili persecutione; partim internis. Ideo (inquit author operis imperfecti in Matthæum) oleo Chrismatis vngitur, vt contra diabolum quasi spiritualis athleta luctetur. Et B. Augustinus: Ideo nos vnxit, quia luctatores contra diabolum fecit. Quartò, infundi Christiano septiformem Spiritus sancti gratiam, vt ait B.<sup>a</sup> Clemens, & D.<sup>b</sup> Ambrosius: 1, donum intellectus, quo facillè apprehendat, quæ de Deo rebusq. diuinis audit: 2, donum sapientiæ, quo illa vera esse non solùm credat, sed spirituali etiam gustu sapiat: 3, dono scientiæ, quo in creaturarum æstimatione versetur, vt Christianum decet; nempe eas non pluris, quàm reuera mereantur, faciat, sed pro rebus caducis & perituris habeat: 4, donum consilij, quo actiones suas ad Dei voluntatem

*Lib. de  
Cate. ru.  
dibus. cap.  
23.*

*Hom. 5.*

*Serm. 47  
de verbis  
Domini.*

*<sup>a</sup>Epist. 4.  
<sup>b</sup>Lib. 3.  
de sac. c. 2.*

perpetuò moderetur, nihilq. nisi ex dictamine spiritus, vel faciat vel loquatur: 5, donū fortitudinis: vt sine cuiusquam vel hominis vel maligni spiritu metu, aggrediatur & perficiat, quod rectum est: & non in externis tantummodo rebus, sed etiam in passionibus internis domandis & subiiciēdis, sese virū strenuū præbeat: 6, donū pietatis, vt interna deuotione, in Deū diuināq. omnia moueatur; Deū vt pium patrē amando, res sacras venerando, proximos & creaturas omnes in Deo, & propter Deum, interno affectu diligendo: 7, Donū timoris Domini; vt interna reuerētia Deū metuat, nihil æquē ac eius offensionē caueat, eius maiestatem cogitans; non quidem vt seruus, sed vt verecūdus filius. Et hæc quidem dona tametsi etiam in Baptismo conferantur, plenius tamen perfectiusq. hic dantur. Nam sicut in homine perfectæ ætatis, est roboris, scientiæ, consilij, iudicij, totiusq. naturæ perfectio & plenitudo; ita hoc Sacramēto Confirmationis datur plenitudo virtutum Spiritus. Ac proinde de Samaritanis, qui per Baptismum à Philippo diacono peccatorum remissionē (quæ sine gratia Spiritus sancti non accipitur) consecuti fuerant, dicitur: *Nondum enim in quenquam illorum Spiritus sanctus uenerat.* Et ante Christi passionē, Nondum erat Spiritus datus; quia Iesus nondum glorificatus. De quo spiritu Dominus ascensurus ad cælos, dicebat: *Sedete in ciuitate, quousque induamini uirtute ex alto: Accipietis uirtutem Spiritus sancti in*

*Actor. 8.*

*1oan. 7.*

*Luc. 24.*

*Actor. 1.*

*tute ex alto: Accipietis uirtutem Spiritus sancti in*

201,

*vos, & eritis mihi testes in Hierusalem & in omni Iudea & Samaria, & vsque ad ultimum terræ: non obscure significans vbertatem gratiæ, quæ hoc sacramento accipitur.*

Quartò, Episcopus manū capiti imponit: unde etiam à Veteribus appellatur Sacramētum impositionis manuum: ad significādum: 1, Quòd peculiari modo à Deo attingamur & perfectius incorporemur, nimirum copiosius accipiētes de Spiritu Christi: 2, Quod digniori loco simus in Ecclesia Dei, nempe non amplius infantes & pueri, sed viri etate prouecta, quorum est, alios in certamine iuuare. 3. Nos Spiritu sancto, tanquam manu Dei, & solidissimo scuto aduersus insultus & tela hostium protegendos. 4. Venialia peccata nobis remitti; atque etiam mortalia, si quæ occulta latent, quorum nō succurrit memoria. Attactus enim manus, significat reconciliationem, & vnionem cum Deo.

Quintò, Episcopus alapam impingit, non modò vt puer suscepti istius Sacramēti sit memor, vitæque instituendæ tanta gratia dignæ: sed etiam. 1, Vt sciat se talem iam militē esse constitutum, cuius pugna & victoria non in inferendis, sed in tolerandis verberibus cernatur: sicut Apostoli ibant gaudētes à conspectu consilij; quoniā digni habiti sunt, pro nomine Christi contumeliam pati. 2, Vt quærat non cōmoda, sed incōmoda huius vitæ: siquidem eius signum & nomen in frōte gerit, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucē, omni confusio-

*Melchias  
des epist.  
ad Episc.  
Hisp.  
Cyp. ad  
Iub.  
Tertu. lib.  
de baptis.  
Leo E-  
pist. 8<sup>o</sup>.*

*Act. 5.*

*Heb. 12.*



fusione contempta . Et sanè militum est, non in deliciis viuere, sed humi cubare, pondus armorum gestare, & mala multa ferre: 3. Vt intelligat, officij sui esse, in acie stare, ictusq. & tela obseruare, vnde veniant, vt tametsi corpus, honorè, & opes tollant vel lædant, nō tamen animam quoquo pacto offendant.

Sextò, cingitur frohs velo, partim ad sacri Chrismatis reuerentiam, partim ad significandā ignominiam, quæ Christi nomine est negligenda. Christiani etenim militis est, honorem apud Deū ciuesq. cælestes ex pugna querere, non apud mundum ex otio aut desidia. Qui namq. nouit per Spiritū sanctū, quanta sint proposita præmia seruis ritè decertantibus; quāq. sint exigua, quæ mundus hic admiratur; is maximo animo contemptum præferet honori, ignominiam gloriæ, infamiam cuius magno nomini.

Solet etiā in hoc Sacramento adesse susceptor, partim quia olim, quando simul eodēq. tēpore vtrumq. Sacramentū Baptismi & Confirmationis adultis cōuersis administrabatur, iidē vtrobiq. curā neophytorū instituendorū suscipiebant: partim vt sciat Christianus, ita se perfectionē per gratiā Spirit⁹ sancti assequutū, vt tñ non sibi fidat, sed aliorū prouectiorū cōsilia libēter & audiat & amplectatur.

Mutatur aliquando nomen Christiani in Confirmatione, vt qui hactenus non ad normam Christi vitam instituit, iam in militiam ascriptus, deposito veteri homine, antiqua fo-

cordia,

cordia, puerilibus studiis, nouo post hac animo, nouoq. virili nomine assumpto, virum se præbeat. Nam etiam puerorū nomina quandoq. diuersa sunt à nominibus virorum, dum illa ad pueritiam indicandam tenerè & diminutiue proferuntur, hæc autē virilitè & grauius, additis subinde epithetis honorum, pro cuiusque dignitate.

Ex his omnibus tum Baptismi, tum Confirmationis cerimoniis, hoc discere licet, quāti momenti sit, esse Christianum, qui tot mysteriis, orationibus, vnctionibus, & benedictionibus initiatur, consecratur, & perficitur: vt perpetuò meminerimus, nos diuino cultui dedicatos esse, & solenni consecratione deputatos, longè sacratius, quàm vel calicē sacrum, vel templum, vel altare. Ac proinde frequenter cogitemus, maiorem iniuriam irrogari Deo, dum Christianus seipsum defœdat quouis peccato mortali, quàm si calix, altare, vel templum materiale secularibus vsibus profanetur. Sæpè id cogitandū esset, quod ex Hieremia in quotidiana lectione recitat Ecclesia:

*Tu autem in nobis es Domine, & nomen sanctum tuum inuocatum est super nos: ne derelinquas nos Domine Deus noster. Et illud Apostoli: Si quis templum Dei violauerit, disperdet illū Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non est vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore vestro.*

Hier. 14.

1. Cor. 3.

& 6.

Faci-

Facile ex prædictis videri potest, qui sint effectus huius Sacramenti, nimirum isti.

- 1 Imprimatur character & signum Christi in animum.
- 2 Remittuntur peccata leuia seu venialia.
- 3 Remittuntur etiam mortalia, quæ per obliuionem cōfiteri negleximus: sicut tamen, vt si occurrant, postea in Cōfessione dicantur.
- 4 Ex infante vel puero transfertur homo in virum, in negotio religionis Christi: qui effectus est præcipuus, vnde alij omnes sequuntur.
- 5 Dantur plenius septē dona Spiritus sancti, quibus hominis animus disponitur ad percipiendum diuinos instinctus, & eis obtemperandum.
- 6 Virtutes Theologicæ & Morales confirmantur & augentur.
- 7 Instruimur armis contra dæmonem, mundum & carnem, vt nō erubescamus fidem profiteri, dæmonem non metuemus, resistamus hæreticis, &c.
- 8 Iuuamur, vt cum iucunditate præcepta & voluntatem Dei perficiamus.
- 9 Efficimur per gratiæ augmentum gratiores Deo.
- 10 Post hanc vitam accipitur maior gloria, sicut maior merces datur viris, quam pueris.

De his effectibus sic scripsit ante 1260. annos B. Melchiades Pontifex Martyr, epistola sua

sua vnica, ad omnes Hispaniæ Episcopos. Hic si fortè illud etiam requirere velint, post passionem & resurrectionem Christi, quid Apostolis profuerit aduentus Spiritus sancti: ipse Dominus eis euidenter exponit. *Quæ dico (in-* Ioan. 16.  
*quit) vobis, non potestis portare modò. Cùm autem*  
*uenerit ille Spiritus ueritatis, ipse docebit uos omnem*  
*ueritatē.* Vides, quia cùm Spiritus sanctus, infunditur, cor fidele ad prudentiam & constantiam dilatatur? Itaque ante descensionē Spiritus sancti, vsq. ad negationem Apostoli deterrantur. Post uisitationem uerò eius, vsque ad martyrium contēptu salutis armantur. Secundum hoc per Christū redimimur: per Spiritum uerò sanctum dono sapientiæ spiritualis illuminamur, ædificamur, erudimur, instruimur, consummamur, ut illā Spiritus sancti uocem audire possimus: *Intellectū tibi dabo,* Psal. 31.  
*& instruam te in uia hac, qua gradieris.* De Spiritu sancto accipimus, ut spirituales efficiamur: quia *animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei.* 1. Cor. 2. De Spiritu sancto accipimus, ut sapiamus inter bonum malumque discernere, iniusta diligere, iniusta respuere, ut malitiæ & superbiam repugnemus, ut luxuriæ ac diuersis illecebris & fœdis indignisq. cupiditatibus resistamus. De Spiritu sancto accipimus uitæ amorem, & gloriæ ardorem, ut succensi diuinitus, erigere à terrenis mentem ad superna & diuina ualeamus.

CA

## DE CERIMONIIS ET EFFECTIBUS Sacramenti Pœnitentiæ.

**I**N hoc mūdo Christus Domin<sup>9</sup> cūm ageret, præbuit se aliquando Iudicē, aliquando Medicū, & piū Curatorem, non solum corporum, sed etiam animarum. Iudicis officium exercuit, quando paralytico dixit: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* & de peccatrice: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Præterea, quando de templo eiiciebat vendentes & ementes: quando dirum vtz, hoc est æternam damnationem comminabatur Scribis & Pharisæis: quādo in cruce paradisum promittebat latroni, &c. Medicum se ostendit in curatione tot morborum, & consolatione tot animarum: *Venite (ait) ad me oves, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, &c.* Qualē autē se Dominus exhibuit nobis, tales voluit esse vicarios suos, nempe Apostolos & discipulos, eorumq. successores Episcopos & Presbyteros; quibus potestatem dedit remittendi peccata, & ligandi atque soluedi. Quia nostris Sacerdotibus (inquit D. Chrysostomus) non corporis leprā, sed animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est. Et iterum: Pater omnifariam potestatem dedit Filio. Cæterum video ipsam eandem omnifariam potestatem, à Dei Filio illis traditam. Hos, inquam, tanta potestate præposuit Christus Ecclesiæ suæ, vt simul & Iudicis & Medici officio fungerentur.

Matth. 9.

Luc. 7.

Ioan. 2.

Matth. 21.

Luc. 11.

Mat. 23.

Luc. 23.

Matth. 11.

Ioan. 20.

Mat. 18.

Lib. 3. de  
Sacerdotio.

tur. Iudicis, in delictis inquirendis & discutiendis, in pœna imponenda, in proferenda & danda absolutionis sententia: Medici, in consulendo, in monedo, in remediis dandis, aliisq. præstandis, quibus peccata in posterum præcaueri possint. Iuxta hoc duplex officium, ordinata & instituta sunt huius Sacramenti ceremoniæ; maximè tamen ad officium iudicis, quod est hoc loco potissimum & præstantissimum.

*Primò* itaq. pœnitens sese in terram proster nit ad pedes sacerdotis (quod etiam Apostolorum tēporibus fieri solitum, docet B. Dionysius Areopagita:) 1, vt se reum ostendat mortis æternæ, veniamq. petat: 2, ad declarandum, in hoc potissimum Sacramento, magnam humilitatem summè necessariam esse.

*Epist. 6.  
ad Demoph.*

*Secundò*, manus seruat complicatas, & oculos demissos, tū ob easdem causas, tū vt indicetur, animum hic adesse debere collectum, non vagum, sed cum Deo vnitum, tanquā in præsentia Christi. Digni simul coniuncti & eleuati, declarant collectum esse per consciētia examina peccatorum omnium fasciculū, oris confessione sacerdoti offerendum, vt in rogū Dominicæ crucis proiciatur, & igne passionis Christi comburatur. Tunditur etiam pectus initio confessionis, quando dicitur, Mea culpa, mea maxima culpa: ad significandum, 1. internum cordis dolorem de peccatis conceptum, & detestationem præteritorum malorū: 2. promptum animū, ad peccata comissa, iuxta arbitrium Sacerdotis punienda.

*Ter-*

*Hom. 10. in Matt.* Tertiò, Pœnitens accusator est sui, peccata omnia sua clarè & integrè proferens ore: tum quia in iudicio non profertur à Iudice sententia, nisi prius reo accusato; neq. remittitur accusato delictum, nisi cōfessus malum, veniam precetur: tū quia Medicus curare vulnera nescit, quæ ignorat, vt post patentia criminum vulnera (ait D. Chrysostomus) pœnitentia interueniente curentur, & ad sacra mysteria redire mereantur.

His igitur pœnitentis cerimoniis, non solum indicantur tres partes pœnitentiæ, contritio, confessio, & satisfactio, quæ ad perfectum Sacramētum in pœnitente requiruntur; sed aliæ item conditiones, quibus peccata ipsa sunt recensenda: nempe integritas, ne quicquam sciēter reticeatur: puritas ab omni mendacio, & simulatione: & humilitas, cum interna reuerentia in conspectu Dei. Atque ista de pœnitente.

*Orat. ad Imp.* At verò Sacerdos, 1. sedet tanquam Iudex pro tribunali: quia habemus & nos, inquit D. Gregorius Naziāzenus, tribunalia. Si quidem iudicis est sedere, ad indicandam iudicij constantiam.

*Luc. 11.* 2. Pro autoritate sua de peccatis inquit, & singula examinat, tanquam habens à Christo clauē scientiæ, qua omnia inuestigare potest, significans tum Iudicis, tum Medici officium. Nā & Iudex inquit, vt sciat quid puniendum sit, quid remittendū, quo modo sententia temperanda; & Medicus, vt morbo cognito

gnito, facilius remedia adhibeat. Partes autem tam rei, quam infirmi sunt: purè, candidè, verè & apertè ad interrogata respondere.

3. Proferès absolutionis sententiã, manum imponit capiti pœnitētis, ex antiqua Ecclesiæ consuetudine, qua peccatores per manus impositionem absolui solent & reconciliari. Hac enim cerimonia significatur: 1, peccatorè qui hæctenus fuit obligatus seruituti peccati, nunc manu miti, & libertati restitui: 2, quòd corpori Christi, tanquam viuum membrum inferatur: 3, quòd per aduentū & delapsū Spiritus sancti hæc remissio conferatur, qui re ipsa per dona sua, animã hominis attingit, & mutat, totiusq. hominis protectionē suscipit: Iuxta id quod scriptum est: *Qui habitat in adiuto - Psal. 90. no Altissimi, in protectione Dei celi commorabitur.*

Non difficile erit ex prædictis colligere, huius Sacramenti effectus; qui sunt duplices: priores quidè ex vi Sacramenti, seu potestate clauium: posteriores verò, ex ipsa pœnitentiæ actione. Et quod ad priores attinet, cõstat hoc pœnitentiæ Sacramentū à Christo esse institutū, vt Christiani, qui per peccatū in Dei offensam incurrissent, remediū haberent, quod denuo in gratiam cum Deo redirent: hoc est quod Tertullianus ait, vt lapsis esset secunda post naufragium tabula. *Libro de pœnitentis.*

Ac proinde primus præcipuusq. effectus est remissio peccatorum omniū, quæ post Baptismi sacramentum committi possunt, non solum leuiū & venialiū, sed etiã grauissimorum

X  
atque



atque mortalium, quæ, quanta, qualia cunque, aut quotcunque ea sint: quæ simul omnia hoc sacramento delentur & condonantur.

*Secundus*, est restitutio eorum bonorum, quibus per peccatum privati eramus. Siquidem peccatum mortale privat hominem: 1, vitam animæ, id est gratia Dei, per quã erat non solum amicus, sed etiã filius Dei, vt iã neq. filius sit, neq. amicus: 2, omnibus donis Spiritus sancti: 3, omnibus virtutibus: 4, omnibus bonis operibus, quæ in statu gratiæ præstiterat, iuxta illud Prophetæ: *Cum recesserit iustus à iustitia sua, omnes iustitiæ eius oblivioni tradentur.* 5, Vita æterna, quæ ipsi clauditur. Hæc omnia per sacramentum pœnitentiæ restituntur. Nã 1, redditur gratia Dei, & iustitia interna, per quam reconciliatus & ornatus, vivat & efficiatur de novo filius Dei. 2, restituntur omnia Spiritus sancti dona, vt rursus incipiat capere, gustare, & cum suavitate spirituali considerare celestia, Deiq. motionibus cooperari. 3, redeunt omnes virtutes, vt cum delectatione possint rectè operari. 4, opera bona ante peccatum facta, & per peccatum mortificata, reuiuiscunt. 5, Restituitur ius ad vitam æternam & hæreditatem Dei.

*Tertius*, est depulsio malorũ, quæ per peccatum inuecta sunt. Multa sanè mala adducit peccatum: 1, obligationem pœnæ pro accepta contra diuinã voluntatem delectatione. 2, Seruitutem, qua miserè à diabolo ita captiuus tenetur peccator, vt nõ solum nihil operari possit, quod

quod mercedem in vita æterna mereatur: (Si *1. Cor. 13*  
*enim distribuero in cibos pauperum omnes facultates*  
*meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeã, cha-*  
*ritatem autem non habuero, nihil mihi prodest, ait*  
 Apostolus) sed etiã miseris modis, ad omnem  
 ipsius nutum impellitur: sicut idem Apосто-  
 lus alibi dicit: A quo captiui tenentur ad ipsius *2. Tim. 2.*  
 voluntatem. 3, Inquietudinem & vermẽ con-  
 scientiã, continenter rodentẽ, & carnificinam  
 internam. 4, Habitus malos & vitiosos, vehe-  
 mētissimẽ hominis animũ ad mala inclinãtes.

Hac omnia mala per hoc Sacramẽtum au-  
 feruntur: 1, reatus pœnã æternã omnino &  
 semper tollitur; sed obligatio ad pœnã tempo-  
 ralem tunc planẽ aufertur, quãdo suis omni-  
 bus partibus est absolutum pœnitentiã Sacra-  
 mentum: hoc est, quãdo pœnitens non solũ  
 corde doluit, & ore confessus est, sed etiã ope-  
 re satisfecit, vel quod operibus externis satis-  
 factionis deest, hoc vel magnitudine doloris,  
 vel alia ratione compensauit. Sed quia illa est  
 Christianorũ tepiditas, vt pauci has tres par-  
 tes perfectẽ adhibeant, hinc est quod rarissimẽ  
 peccata dimittantur, quin pœna aliqua etiam  
 post absolutionem subeunda maneat, quã vel  
 hic toleranda erit, vel in purgatoriis ignibus  
 post hãc vitã. 2, Restituitur homo pristinã li-  
 bertati Christianã, vt non iam ad nutum dæ-  
 monis, concupiscentiã & mundi, sed ad vo-  
 luntatẽ Dei vitam instituat, operibusq. bonis  
 promereri possit vitã æternã. 3, Redit sereni-  
 tas, pax & gaudiũ conscientiã, sublati anxie-  
 tati-

tatibus, & omnibus tricis, quibus per peccatū implicabatur. 4. Habit<sup>9</sup> omnes vitiosi tamen non statim, sed paulatim per exercitia bonorum operum extinguantur, nō parum tamen imminuuntur; & non ad peccatū relinquuntur, sed ad exercitium & certamē, ad meritum maioris coronæ & gloriæ.

Posterioris generis effectus ex ipsa quidem actione pœnitentiæ sequuntur: confirmantur tamen & perficiuntur per gratiā Spiritus sancti, quæ virtute Sacramenti infundi solet. *Primò* itaq. vehementer iuvat confessio, ad extirpandum ex animo hominis superbiæ vitium, ex quo peccata cætera, tanquā ex fonte oriuntur, & sine quo peccata nulla committuntur. Cogitur enim homo, ex instituto huius Sacramenti, ad pedes hominis sese abiicere, cœtotū illi suum pandere, nihil peccatorū celare, reprehensionem & pœnitentiā pro ipsius arbitrio admittere, & sententiam tanquam à iudice suscipere. Præterea, dum vitia sua expendit & peccatorum enormitatem ac multitudinē ob oculos ponit, suamq. inspicit malitiam, incipit sibi displicere, & minus altè quàm solebat, de seipso sentire.

*Secundò*, ex ipsa confessione oritur pudor & erubescencia, quæ vsq. ad eò grata est Deo, ut partem habeat remissionis (ait liber de vera & falsa pœnitentiā, B. Augustino adscriptus.) In hoc enim (inquit) quod per seipsum dicit Sacerdoti, & erubescentiā vincit timore offensus, fit venia criminis. Fit enim per confessionem

Cap. 10.

veni-

veniale, quod criminale erat in operatione. Hic etiam pudor facit, vt segnior sit homo ad peccandum, dum cōmittere timet, quod erubescit confiteri.

Tertiò, magna est vtilitas in admōitione Sacerdotis, per quem pœnitens 1, instituitur, vt peccatum agnoscat & discernat: quæ res est non exigui momēti, dum quidam grauia peccata minimi æstimant, alij contrà minoribus, aut his etiam, quæ peccata non sunt, plus æquo torquentur. 2, Remedia discit vitandi peccata. 3, Monetur, vt seriò respiscat, atq. ex animo doleat. Virtus autem Sacramenti gratiam addit & lumē, vt homo percipiat, sapiat, & credat, quæ à Sacerdote dicuntur. 4, Auxiliū accipit ex pij Sacerdotis orationibus, quas pro confitente ad Deū fundit, ex eiusq. dolore & gemitu ac lachrymis, quibus ex animo peccatori cōpatitur. Ita namq. confessarius, ad exemplū Christi, & B. Pauli, affectus esse debet, & sese infirmis accōmodare, ad eis condolendum, eosq. dolore ac lachrymis suis, ad verum dolorem extitandos: sicut B. Ambrosium fecisse, quando pœnitentium peccata in confessione excipiebat, auctor est B. Paulinus Episcopus Nolanus, in eius vita. Et quia tam multa pendent à Sacerdote, cui confiteris, circumspice diligentius, (ait B. Basilius) cui debes confiteri peccatū tuum: proba prius Medicum, cui debes causam languoris exponere; qui sciat infirmari cū infirmante, flere cum flente: qui condolendū & cōpatiendū nouerit

*Ioan. 11.  
2. Cor. 13*

*Ho. 2. in  
Psal. 37.*

disciplinā, vt ita demū siquid ille dixerit, qui se prius & eruditum Medicum ostenderit, & misericordem, si quid consilij dederit, facias & sequaris.

*Quartū*, confessio peccatorū, ad totius Reipub. redundat vtilitatem. Sicut enim externa constituuntur iudicia & tribunalia, ad continendos homines in officio, conseruandamq. publicā pacē & tranquillitatē metu pœnarū: ita hoc tribunal Sacramēti pœnitentię est institutū à Christo, vt metu diuino sincerē & ex animo iustitia ab omnibus conseruetur, atque colatur, peccata cohibeātur, vnicuiq. quod suū est restituatur, quietē viuatur, superioribus mos geratur, pauperes eleēmosynis iuuentur: quæ multo purius, solius Dei intuitu & metu fiunt, quàm timore humano.

## CAPVT VII.

DE CERIMONIIS ET EFFEC-  
*tibus Extreme vnctionis.*

**E**X TRE M A E V N C T I O N I S Sacramentum ob id à Christo est relictum Ecclesię, vt fideles sicut in ingressu in orbem Sacramento inicianur, & admittuntur: ita in egressu Sacramento iuuetur & dimittatur. Et proinde cerimonie omnes eò referuntur, vt infirmus iuuetur, tum ad morbum facilius tolerandum, tū ad foelicius ex vita migrandū.

*Primò* itaque, multæ ad Deum funduntur preces pro infirmo, quibus diuinum auxilium imploratur.

Secur-

*Secundo*, inuocari solēt lectis Litanis Sancti Dei omnes, tum vt in hac extrema pugna, qua Dæmon vires omnes suas exerit, infirmus eorum præsidio muniatur, & præsentia consolationem accipiat: tum vt animam eius, quando ex hoc mundo emigrabit, comitatu suo ad beatam regiam cælestem cum triumpho deducant.

*Tertio*, sacro oleo oliuarum iniunguntur per signum crucis quinque sensuum organa, rogando vt Deus ignoscat, quicquid his sensibus commissum est mali: 1, vt intelligamus, hoc Sacramentum adhiberi per modum medicamenti, ad languorem animi curandum, sicut oleum conforat & curat debilitatē corporis: 2, quia dantur vires luctandi cum Dæmone: 3, quia gratia Spiritus sancti, quæ per oleum significari solet, confertur. Crux autē imprimitur: 1, quia hæc dona per crucis & passionis Dominicæ merita nobis conceduntur: 2, vt hoc signo in ista pugna cum Dæmone utamur, eoq. sensus nostros, ne per eos in animam irreat aduersarius, muniamus: 3, vt ad tribunal Christi iudicis, hoc signum crucis deferamus, quo declaremus, nos sub crucis vexillo constanter ad finem vsque mortalis vitæ depugnasse.

Effectus Sacramenti istius, qui à B. Iacob. 5. indicantur, ex prædictis ceremoniis non difficulter colligi possunt. Sic enim ait: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesia & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine*

*mine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit, remittentur ei.*

Quibus verbis significat tres effectus. Primò, *oratio fidei*, hoc est, virtus Sacramēti, quod per orationem innixā fidei administratur, *saluabit infirmum*, hoc est, per gratiā Spiritus sancti infusam, saluabit animā, eā pulchritudine & miro splendore ornās: vt Dæmonibus efficiatur terribilis: vt ex hac vita migrans, per media hostium agmina intrepidè transeat: vt-  
 que ad regnum cælestis gloriæ veniens, altiori loco collocetur, quàm si sine hoc Sacramento migrasset. Corpus verò aliquando sanatur, quando id ad infirmi salutem expedire videtur, & sine miraculo euidēti fieri potest. quod S. Concilium Tridentinum his verbis dicit: Sanitatem corporis interdum, vbi salutis animæ expedierit, consequitur.

Secundò, *Alleuiabit eum Dominus*: Alleuiatio hæc est gratia corroborans infirmū, ad leuius ferenda incōmoda morbi, aliaq. quæ infirmis euenire solent. Nam 1, naturaliter homo metuit mortem: 2, est timor exactissimi iudicij, cuius consideratio peccatorem in desperationem deiicere posset: 3, Dæmon acrius instat, & vehementius impugnat eo tempore, quod est vltimum sui cum homine certaminis, & prout cuiusque, longa experientia, & perspicacitate naturæ, cōditionem & ingenium didicit, variis artibus vtitur, vt hunc pusillanimitate & desperatione deiiciat, illum nimia pre-

sum-

Con. Flo-  
rent.

Sess. 14.  
cap. 2.

sumptione attollat, alium variis occupationibus distrahat, &c. 4, Morbus ipse deprimit hominem, contristat, & vehemēter affligit, vt nō libeat de Deo rebusq̄. cælestibus, deq̄. suæ animæ salute cogitare. 5, Facillimè ad impatientiam, ad querendum, ad suspicandum, aliasq̄. imperfectiones mouetur ægrotus, neq̄. valet suis passionibus, prout conueniret, resistere. Aduersus hæc omnia incommoda iuuat hoc Sacramentum, tanquam saluberrima medicina, per quam mortis & iudicij timor minuitur, Dæmonis vires per Spiritus sancti præsentiam franguntur, animus recreatur & subleuatur, atq̄. ad resistendū Dæmonis, mundi, & carnis tentationibus roboratur: impediuntur vitiosi habitus per gratiā Sacramenti, ne contra rectam rationem sese exerant, ne superbia, auaritia, impatientia, aliæq̄. id genus prauæ affectiones animam hominis lædant. Deniq̄. confertur letitia interna, & consolatio spiritualis, qua homo sese manibus diuinis cōmittit, & in protectione Altissimi quiescit.

Tertiò, *Si in peccatis fuerit, remittentur illi*: hoc est: 1, remittuntur peccata venialia virtute gratiæ, quæ per Sacramentū confertur. 2, si quæ sint mortalia peccata, quorum in confessione non memineramus, per hoc Sacramentū tolluntur, per quod efficitur, vt imperfectus de peccatis dolor, propter infusam gratiā & charitatem, perficiatur: 3, minuitur, & etiā quandoque tollitur pœna, quæ mortalibus peccatis debebatur. Deniq̄. hoc Sacramentū est prote-



330 CHRISTIANARVM  
statio fidei Catholicę, in exitu vite, declarans,  
quod, sicut hæcæus in militante Ecclesia ho-  
mo cum iustis habuit communionē: ita post-  
hac optet habere consortium cum sanctis in  
Ecclesia triumphante.

Pro Sacramento Eucharistię sufficiant ea  
quę superius de Missę Sacrificio, & de Fructi-  
bus, Communionis dicta sunt.

CAPVT VIII.  
DE AQUA LVSTRALI  
*seu benedicta.*

**B**EATVS Alexander Pontifex martyr,  
qui sextus post B. Petrum Romanā re-  
xit Ecclesiā, aquę benedictę vsum non  
tā ipse inuenit, quā ab Apostolis traditum,  
obseruari ab omnibus iussit. Sic enim scribit  
Epistola sua prima, circa annum Domini 83.  
Aquam sale conspersam populis benedicimus,  
vt ea cuncti aspersi sanctificentur. Quod &  
omnibus sacerdotibus faciendum esse man-  
damus. Nam si cinis vitulæ aspersus populum  
sanctificabat, atque mundabat: quanto magis  
aqua, quę sale aspersa, diuinisquę precibus sa-  
crata est, populum sanctificat atq. emūdat? Et  
si sale asperso per Helizeum Prophetam, ste-  
rilitas aquę sanata est; quanto magis diuinis  
precibus sacrata aqua, sterilitatem rerum au-  
fert humanarum, & coinquatos sanctificat  
atq. purgat, & cætera bona multiplicat, & inli-  
dias Diaboli auertit, & à phantasmatum vet-  
sutiis hominem defendit.

*Leuit. 10*

*4. Reg. 2.*

Quod

Quod dicit, Aquam sale cōspersam populis  
 benedicimus: declarat apertè, quid tēpore suo  
 in Ecclesia Romana ex Apostolica traditione  
 obseruaretur. Apostoli enim preces &  
 benedictiones instituerunt, quibus Diabolica  
 potestas, quæ creaturas subinde inficit & cor-  
 rumpit, ab illis eiiciatur, & per illas ab aliis de-  
 pellatur. Constat namque, Diabolum, qui in  
 hoc aëre nostro versatur, creaturis inanimis  
 passim misceri, vt propter ipsius impuritatem,  
 non incōmodè B. Paulus dixisse intelligatur.  
*Expectatio creature reuelationem filiorum Dei ex- Rom. 8.*  
*pectat: quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute*  
*corruptionis, in libertatem gloria filiorum Dei. Sci-*  
*mus enim, quòd omnis creatura ingemiscit &*  
*parturit vsque adhuc, nempe ob tantam impu-*  
*ritatem, qua præsentia & abusu Dæmonū in-*  
*ficatur. Sanctificatur autem (ait idem Apосто. 1. Tim. 4.*  
*lus) per verbum Dei & orationem, per quam*  
 Diabolus & quicquid Diabolicum est, à crea-  
 tura expellitur; tum ne cuiquam in sumptio-  
 ne aut vsu noceat, tum vt aspersione & conta-  
 ctu sui, curationem aliis adferat. Sic enim cō-  
 ueniebat Dæmonis superbiã deprimi, vt qui  
 se erigere ad thronum vsq. diuinæ maiestatis  
 audebat, tanta arrogantia, vt neminem time-  
 ret; nunc per leuem aquæ aspersione, hoc est,  
 per vile elementum, cogere tur cedere, & abie-  
 ctis creaturis imbecillioem se profiteri. Ha-  
 bet autem hoc aqua non ex se, sed ex Ecclesiæ  
 tum precibus, tum auctoritate. Si enim sancti  
 multi, etiam nō Sacerdotes, precibus suis im-  
 petra-

Cap. 8.  
& 26.

petrarunt creaturis vim pellendi morbos, vt Theodoretus in Philotheo, & alij Ecclesiastici scriptores referunt: multo magis impetrant preces Ecclesiæ sponſæ Christi, super omnes sanctos dilectæ, quæ semper exauditur pro sua reuerentia, & cui data est potestas Dæmones eiiciendi, & calcandi super serpentes & scorpiones.

Luc. 10.

Cæterum in hac aquæ benedictione, nõ incommodè miscetur sal benedictum, ad varias significaciones; quas qui intelligunt, non sine reuerentia & deuotione se suaque aspergunt. Nam 1, Sal diuinam sapientiã designat, quæ in Christo humanam naturam in vnam personam assumpsit: Aqua Dominicã passionem, de qua Saluator aiebat: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, donec perficiatur?* 2, Sal, quo solent carnes condiri ne corrumpantur, significat incorruptionem nostram, & interitum vermium: aqua, abluitionem & munditiam. 3, Sal discretionem, quia præbet gustum: aqua lachrymas & pœnitentiam. Rogat igitur Ecclesia, vt per passionem veri Dei, cõcedat nobis Dominus munditiem cordis & animi; integritatem mentis, sanitatem loci, animalium, aliarumque creaturarum; & interitum seu exclusionem infernalium vermium, omniumque quæ Diabolica ars machinari ad hominis exitium potest. Que vt commodiùs fideles assequantur, petit iisdem concedi vim lachrymarum, veramque & discretã pœnitentiæ actionem, ex sapientia & gustu rerum diuinarum profectã.

Luc. 11.

Esse-

Effectus istius aquæ multi sunt & varij, vt ex prædictis B. Alexâdri verbis, & ex ritu benedictionis constat. Quidam spirituales, qui semper sequuntur, quoties qua par est demissione & deuotione aspergimur; nisi ex causa ad maiorem nostram vtilitatem Deo aliud videatur.

1. Itaque profligantur Dæmones ex locis & creaturis.
2. Remittuntur venialia peccata.
3. Phantasmata Diabolica, prauæ cogitationes, & mentis distractiones in oratione, aliisque temporibus, excluduntur.
4. Mens à terrenis rebus colligitur.
5. Disponitur animus ad orationem & deuotionem.
6. Gratia, fauor, & præsentia sancti Spiritus impetratur.
7. Preparatur mens hominis, vt rectius diuina mysteria peragat, Sacramentaq. suscipiat. Valet enim hæc aquæ aspersio aduersus omne, quod Sacramentorum effectum impedire potest. Atq. ideo in altarium & templorum consecratione adhibetur, vt à locis illis omne excludatur orationis, deuotionis, & Sacramentorum impedimentum. Solet etiam ob eandem causam, iuxta fores Ecclesiæ, in promptu semper esse aqua benedicta, vt ingressuri eius aspersione, diuinaq. gratia, Dæmonem, inanesq. cogitationes & curas excludant, atq. ad orandum deuotius se parent & colligant: egres-

egressuri verò, aduersus omnes occurrentes peccandi occasiones sese muniant.

Alij effectus sunt corporales, qui non raro, pro Dei voluntate & beneplacito, quando ad diuini sui nominis gloriam expedire iudicat, consequi solent. Et si iustis de causis non sequantur, non ob id tamen est inefficax Ecclesiæ oratio, vel aquæ aspersio: quia quod effectibus corporalibus negatur, hoc spiritualibus, qui præstantiores sunt, compensatur.

1. Curatur sterilitas hominum, iumentorum, humanarumque rerum.
2. Impetratur bonorum multiplicatio & vbertas.
3. Infirmitates corporum, ne inuadât, præcauentur, & vbi occupauerint, curantur. Conceditur enim sanitas mentis & corporis.
4. Noxius aër purgatur, depellitur pestis, & omnis contagio.

Denique sic orat Ecclesia: Virtutē tuæ benedictionis infunde, vt creatura tua, mysteriis tuis seruiens, ad abigendos Dæmones, morbosque pellēdos, diuinæ gratiæ sumat effectum, vt quicquid in domibus, vel in locis fidelium hæc vnda resperferit, careat omni immunditia, liberetur à noxa: non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens: discedât omnes insidiæ latētis inimici: & si quid est, quod aut incolumitati habitantium inuider, aut aut quieti, aspersione huius aquæ effugiat: vt salubritas per inuocationem tui nominis expetita,

perita, ab omnibus impugnationibus sit defensa.

Conuenit porrò, vt is qui se aqua benedicta aspergit, intentionem suã cū Ecclesiæ precibus coniungat, & cum reuerentia, internaq. deuotione hacaqua vtatur, vel dum aspergit, vel dum alia de causa sumit, cibusq. vel potibus miscer. Qui enim sine reuerentia vel deuotione id agunt, exiguam consequuntur ex eo vtilitatem.

CAPVT IX.  
DE CEREIS.

**Q**UIA cereorum in Ecclesia vsus antiquus est, & varius: ideo peculiare quedam orationes & benedictiones adhibentur, vt fideles non ex sola deuotione, sed ex solennibus etiam & publicis Ecclesiæ precibus, vtilitatem per eos consequantur.

*Prudentius  
hymno in  
Laurentium.  
Ext. de  
celebr.  
Missarũ.  
cap. sanè,  
& c. fina.*

Primò itaque accenduntur ad Christi Domini nostri honorem, præcipuè verò coram Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, à quo nunquam lumē abesse debet: quia ipse est lux vera, illuminans omnem hominem veniētem in hunc mundum. Et sicut cereus constat cera, per castas & virgineas apes producta, lychno & igne: ita Christus carne, ex purissimis sanguinibus Beatissimæ Virginis Mariæ accepta, anima & diuinitate, per quam Deus noster ignis consumens est.

*Heb. 12.*

Secundò, coram imaginibus, sanctorumq. reliquiis: vt significetur, sanctos, quos tali lumine

*In Luminar. Sophro. cap. 180.*

mine veneramur, 1, sanctitate vitæ & doctrina mundum hunc illuminasse: 2, Dæmonem superasse, ac de eodem triumphum egisse: (est enim triumphantium, luminaribus introduci: ) 3, eosdem nunc in cælo glorioso lumine fulgere. Sine vllis tenebris vel errorum, vel peccati.

*D. Hiero. cōtra Vigilantium.* Tertio, ad lectionē sacri Euangelij: 1, quia illud vniuerso orbi verum lumen diuinæ notitiæ præbuit: 2, vt quisquis Dei verbum audit, viua illud fide audiat. quia incredulis, & oculis per peccatum obtenebratis, verbū crucis est scādalum, quod alioquin est in salutem omni credenti.

*Rom. 1.*

*In gloria  
Confess.  
cap. 20.  
§ 79.*

Quarto, In processionibus præferuntur cū crucibus lumina ( vt ait B. Gregorius Turonensis ) vt in hac militia Christiana, sub vexillo crucis, lumen fidei adhibeamus, vt ex fide, hoc est, iuxta fidei nostræ dictamen, viuamus.

*Luc. 2.*

Quinto, in Baptismo, sicut superius dictū & explicatum est, cereus nobis datur, sepiusq; in vita vsurpatur, potissimū verò in festo Purificationis, quo cerei Ecclesiæ precibus benedicuntur, palāq; à Christianis, in memoriam Christi veri luminis, ad reuelationē gentium, ( quem Simeon vnus suscepit ) gestantur: vt lumen fidei, ardorem charitatis, rectitudinem & synceram intentionem, quam lychnus cœrectus significat, protestemur, declaremusque nos paratos, vt sponso animæ nostræ Christo, cum ardentibus lampadibus occurramus. Ita

*Matt. 25  
Lib. 2. ca.  
21. & 22*

scribit Nicephorus, B. Virginem Mariam, accensis

censis cereis ex hac vita migrasse, & ad tumulum deportatam esse.

Sexto, deferuntur funera Christianorū, cum multis luminaribus ad sepulturā, (vt est apud D. Gregorium Nazianzenum) quibus significamus: 1, eos, tanquam inuictos milites, de aduersariis triumphare: 2, nos illis optare perpetuam lucem, & gloriam sempiternam.

*Orationes*  
*2. in Iulianū, & oratione*  
*7. in mortem fra.*  
*Chry. Ho.*  
*70. ad pop. Antioch.*

Quæ sit igitur utilitas cereorum in Ecclesia, facile cū ex prædictis est intelligere, tum ex orationibus, quibus Ecclesia in eorundem benedictionibus utitur. Orat enim Deū, 1, Vt cerei valeant ad sanitatem animarum & corporum, terra mariq. 2, Vt de locis, vbi accensi fuerint, Dæmon, & quicquid Dæmonis ars est machinata, depellatur. 3, Vt mētes & corda nostra inuisibili igne, & splendore sancti Spiritus illustrentur, omniūq. peccatorū & vitiorum cæcitate careant, vt cernere possimus, quæ Deo sunt placita, & vtilia salutis. 4, Vt ignis charitatis cum lumine fidei, in animis nostris accendatur, qui nos ad lumen indeficiens in vitam æternam deducat.

Qui igitur in honorē Christi aut Sanctorum cereos accendunt, aut deuotè gestant, factō ipso precantur, sibi hæc omnia à Christo, qui est Deus verus, & splendor lucis æternæ, concedi, intercessione gloriosisq. & clarissimis meritis Sanctorū: Defunctis autem quorum exequis cereos adhibent, lucem beatam petunt & splendidissimum gloriam, in regno cælorum.





*Petrus  
Cluni-  
cen. lib. 2.  
Missa.  
cap. 22.*

**A**NTIQUISSIMVS est sacrorum cinerū vsus, non tantum in veteri testamento, sed etiam apud Christianos in nouo, qui eos ad significandam & excitandam pœnitentiam, tum in morte, tum in vita adhibere, & capitibus aspergere solent. Nam si humilis abiectusque habitus, ex dolore assumptus, magnam habet vim, & ad producendam in hominis animo humilitatē, & ad prouocandam diuinam misericordiā: multo maiorem vim habebit idem habitus, si ex obedientia Ecclesiæ assumatur, quæ cineribus peculiare etiam preces adiungit, quibus animi demissionem, & Dei clementiam petit. Constat enim, quod opus ex obedientia susceptū, plus habeat meriti apud Deū, propter obedientiæ virtutem, quam quod sponte arbitrioque nostro perficimus. Et præterea est indubitatum, non frustra, neque sine fructu Ecclesiam suas preces fundere. Aspersio igitur cinerum, iuxta Ecclesiæ institutū, tribus ex causis habet vilitatē: 1, ex opere ipso humilitatis: 2, ex obedientia Ecclesiæ: 3, ex Ecclesiæ precibus. Petit enim multis orationibus in cinerum benedictione Ecclesia, vt istos salutare effectus consequantur fideles, qui sunt his cineribus vsuri.

1. Vt iuuetur homo ad internam humilitatem cordis.
2. Vt benedictio cælestis in asperfos descendat, qua seridè cōpungantur, & de peccatis

catis doleant; considerâtes, per peccatum hominis, & ipsam terram maledictâ fuisse in opere nostro, & nos omnes in cinerem & terram redituros.

3. Ut hi cineres sint salubre remedi-um, ad assequendam remissionem peccatorum, & præmium vitæ æternæ.
4. Ut derur corporis sanitas, ad pœnitentiã pro peccatis agendam.
5. Ut anima ipsa diuina tutela protegatur.
6. Ut illa à Domino impetremus, quæ ad ipsius voluntatem petimus.
7. Ut in bono, constanti animo perseueremus.

Neq. dubium cuiquã esse debet, quin pius Catholicus hæc bona accipiat, quando synccero animo, in capite Quadragesimæ cineribus sacris aspergitur, seriõ secũ statuens, eã Quadragesimã, in amaritudine animæ suæ ad peccatorum satisfactiõnem, traducere.

Quòd porro fronti ipsi signum crucis cineribus imprimatur, ad hoc fit, vt ne nos pudeat, ad amorẽ & imitationem crucifixi Dei nostri, publicè pœnitentiã agere: nos, inquam, qui puluis sumus, & in puluerem reuertemur. Sacerdotibus autè non frons, sed caput aspergitur: partim ad reuerentiam sacrificij, ne in eius celebratione aliquid cinerũ in altare decadat: partim, vt ipsi, qui cæteros homines dignitate, ordine, & potestate antecellunt, sciant se breui cineribus & terra regendos.

## DE PALMARVM RAMIS.

**E**CCLÉSIA Catholica hanc seruat ab antiquis tēporibus consuetudinē, vt Dominica die, quæ proximè festiuitatē Paschæ præcedit, palmarū, oliuarum, similitumq̃, arborū ramos, solennibus precibus benedicat, populoq̃ Christiano gestandos, & domi ad salutare effectus conseruandos tradat. Quæ cerimoniam duo, quæ circa Christi Domini personā gesta sunt, significantur. Alterū: insignis ille ingressus in ciuitatē Hierusalem, hoc ipso festo Palmarū. Alterū: triumphus ille gloriosus, quē per passionē & mortem suam deuictis hostibus, de principe huius mundi, uersoq̃ inferno reportauit, idq̃. in gratiā nostrī, quos non nostris meritis, sed benigna sua misericordia liberauit. Proinde rami palmarū, victoriam atq̃ triumphum significant: rami autem oliuarum, misericordiam.

Cæterū ne more veteris legis, careat suo fructu ista significatio, accedunt preces & benedictiones Ecclesie, quibus Deus rogatur, vt gestantes hos ramos

1. Accipiant protectionem mētis & corporis in salutis remedium, & ad gratiā diuinam obtinendam.
2. Vt, sicut rami virentibus sunt foliis: ita frondeant opera nostra virore iustitiæ, & virtutum multarum pulchritudine.
3. Vt sicut Hebræorum populus Christo his ramis occurrit, & cū ipso in ciuitatem Hierusalem

falem intrauit : ita nos bonis operibus instru-  
cti Domino obuiam procedamus , eiusq̄. ve-  
stigia sequentes, per ipsum, & cum ipso in cæ-  
lestem Hierusalem admittamur.

4. Vt, sicut Christus de hoste per passionem  
suam triūphauit: ita & nos sæpè hoc opus mi-  
sericordiæ animo voluētes, amore Christi ac-  
cendamur ad pugnam, & ad victoriā de Dæ-  
mone, carne & mundo referendam.

5. Vt, in quemcunq. locum importati fue-  
rint hi rami, habitatores Dei benedictionem  
consequantur, & omni aduersitate fugata, de-  
xtera Dei protegantur.

Dum igitur ex mēte Ecclesiæ, deuoto ani-  
mo hos ramos seruamus, gestam<sup>9</sup>, aut ad vsum  
pium adhibemus : precamur facto ipso Chri-  
stum Dominum, vt per passionem & mortem  
suam, qua Dæmonem superauit & fregit, &  
per misericordiam suam immensam, qua hoc  
sine nostris vllis meritis egit, Dæmonē, om-  
nemque aduersitatē à nobis, & ab ædibus no-  
stris pellat: ne vel aëris tempestate, vel alio in-  
commodo quocunq. nobis noceat: quin po-  
tius Dei dextera nos protegat, & non solum  
corpora à malis tueatur, sed animæ quoq. gra-  
tiam suam infundat, vt multis virtutibus or-  
nati, & bonis operibus florentes, Christi ve-  
stigia sequamur, hostes nostros omnes visibi-  
les & inuisibiles superemus, & ad gaudia cæ-  
lestis Hierusalem, ab Angelis cum triumpho  
introducatur.

**S**ummus Pontifex, Christi in terris Vicarius, primo sui pontificatus anno, & quolibet deinceps septennio, consecrare solet solēni benedictione orbiculos quosdā cereos, quos à figura impressa vocant Agnos Dei, adhibito sacro Chrismate, multisque insignibus ceremoniis. Multa autem precatur à Deo concedi illis, qui animo deuoto hos orbiculos consecratos penes se habent, aut iis vtuntur terra marive, Cuius oratio tanto maioris esse momenti debet, quanto eius officium est in Ecclesia sublimius, Christoque cōuenientius. Vnde non rarò mirabiles effectus non sine miraculo diuino sequuntur, maximè vbi quis eximia fide & deuotione præditus, summi Sacerdotis benedictionem & Dei promissionē, que oranti Ecclesie auxiliū addixit, intueretur. Que autem in consecratione petuntur, sunt ista:

Primò quidem in genere, vt ab omni malo liberemur, omniq. bono fruamur. Deinde verò nominatim mala recēsentur, à quibus nos rogat liberari: nimirū, ab omni tēpestate maris & terræ, à fulmine, grandine, noxiis ventis, pluuia, terræmotu, tonitru, peste, morbo commitali, morte improvisa, igne, insidiis inimicorum, malorumque spirituum, denique ab omnibus aliis periculis. Additur etiam, vt parturientibus mulieribus Deus adesse dignetur, & quauis in tentatione Dæmonis, Christi fidelibus animum viresque addere, quibus in-

trepidè

INSTITVTIONVM LIB. IIII. 343  
trepidè hostes repellant ac superēt. Quia igitur experientia frequentissimè docet, ista sæpe à Deo concedi, non sunt temerè reicièdi, sed magna deuotione gestadi orbiculi isti, & aliis commendandi.

CAPVT XIII.

DE AGNO DEI, CARMEN

Andrea Frusij, Societatis Iesu.

QV ID sibi vult Agni, quæ circūfertur imago  
Cerea, mirificis nobilitata modis?

Haud temerè: neque enim blaterare, aut credere fas est,

Catholicis quicquam fraudis inesse sacris.

Verùm quæ species cultus? quæ caussa? quis actor?

Quæ ratio talem dat vel origo locum?

Res quia cera, parum, nimis aut obscura videtur,

Plerique hanc animo frigidiore colunt.

Diuine propè dant alij virtutis honorem,

His quæ superstitio forte suborta nocet.

Idolum vocat hæreticus, ridet quæ fidelem:

Hic tacet ignarus, frons quæ plicata rubet.

Non bene tanta latent fidei munimina sanctæ,

Iam celebri quæ rei iura sepulta silent.

Iuste ego cum tales versarem pectore curas,

Catholica his dictis visa monere fides:

Non noua, sed nostris sæpe auribus acta querela est,

Nec de hoc duntaxat munere turba fremit.

Ecquis enim meritum retinet iam ritus honorem?

Quis nitet intacta religione locus?

Christi etiam sanctum blasphemata calumnia corpus

Vellicat, & nugas omnia sacra facit.  
 Sunt rursus innumeri voce, haud v̄ virtute, fideles,  
 Vixq; umbram fidei v̄ el pietatis habent.  
 Nec mirum est omnem cultum frigescere, quando  
 Ipse Deo duro corde refrigit amor.  
 Irrita sic fieri caelestia dona necesse est,  
 Seu dubios ritus inualidosque putent:  
 Siue superstitio externis ita rebus inherens  
 Fascinet, vt spernant nobile mentis opus.  
 Quid peccent v̄trique, tibi per singula possem  
 Expressere, ac vsus constabilire pios:  
 Verum argumento fiet satis omnibus vno,  
 Si satis excussus cereus agnus erit.  
 Abdit a nonnullos primum quod turbat origo,  
 Propterea & magnum pondus habere negant:  
 Ponderis indicium maioris maius idipsum est,  
 Sanctorum ad trutinam si reuocare velis.  
 Quicquid enim seruat ritus Ecclesia constans,  
 Principium cuius nemo referre queat,  
 Id magis antiquum, certum, ac laudabile censent,  
 Tanquam à primæua religionē satum.  
 Hec siquidem haud scripto, sed factō vsuq; vigebat,  
 Secula quod statuunt posteriora notant.  
 Sic consueta volunt Doctores multa vetusti,  
 Ex Christi ac comitum traditione vehi.  
 Agni huiusce refert auctorem nemo recentem:  
 Priscus enim priscis Patribus vsus erat.  
 Vnde velut de re clara nimis atque probata,  
 Rara per historiam mentio facta patet.  
 Eiusdem nec parca minus largitio facta est,  
 Nobilis vt merito semper honore foret.  
 Ante octingentos ferme Leo tertius annos,

Opti-

Optimus exhibito munere testis adest.

Carolus hoc magnus magna pietate recepit,  
 Thesaurum vt reputans cœlitus esse datum.  
 Urbanus quintus similem post consecrat agnum,  
 Quem Byzantinus ferre Monarcha cupit,  
 Excipitur populi occurſu cum supplice pompa,  
 Atque triumphantis mœnia more subit.

Rarius ergo fuit donum, vt pretiosius esset,  
 Diuinum plusquam pontificale quod est.  
 Ah nimia id deinceps vileſcere copia fecit:  
 Vulgare ac leue fit, quod leue vulgus habet.

Omnibus hoc sacris, ipsi hoc commune Synaxi est:

Num. 12.

Sic fuit Hebraeis nausea, manna frequens.  
 Mentibus at rectis rerum conspecta bonarum  
 Copia fit pluris quo magis ampla venit.

Prima quidem ratio sacrandi antiquitus agni  
 Exstitit, vt signum grande, potensq; foret.

Quippe vt in Hebraicis omnis quondã hostia sacris,  
 Christi aduentantis schema salubre fuit:

Exod. 12.

Viq; redemptoris mores mortemq; notabat  
 Agnus, præcipui creber honore typi:

Non secus, (umbrosum signum componere claro  
 Si licet) hic nobis debitus agnus erat.

Si decuit signo speratum attendere munus,  
 Acceptum quanto plus memorare decet?

Ignaris obscura leuem ignorantia culpam,  
 Notitia ingratis reddit aperta grauem.

Subsidis nec se externis negat ullus egere  
 Christigena, aut hominem se simul esse neget.

Plus sensu quàm mente viget natura bisformis,  
 Nec sine corporeo Spirituale videt.

Sopitusq; velut paulatim extinguitur ignis,

Y S

Impi-



Impigra materiam det nisi sepe manus:  
 Sic nisi sensilium virtute subinde iuuetur,  
 Emoritur vacua mente sepulta fides.  
 Præterea haud signis virtus erat vlla vetustis:  
 Vim tribuit magnam gratia iuncta nouis.  
 Egregia huic igitur, quo fortius excitet illam,  
 Materie effigies sanctio, visq. datur.  
 Est agni effigies, quam pura & candida cere  
 Materies, nec non orbicularis habet.  
 Additur huic etiam mundiſſima lymphariganda,  
 Chriſmatis ac oleum, balsamiusque liquor.  
 Sacre idcirco rei reuerentia maior habenda est,  
 Nec, nisi sacrata, fas tetigisse manu.  
 Cera refert hominem intacta de virgine cretum,  
 Et quo purius est candidiusque nihil.  
 Sed purum ne fortè hominem tantummodo credas,  
 Æterni integritas numinis orbe patet.  
 Doctrina eius item sincera, salubris, abundans,  
 Apposito viuo fonte refertur aque.  
 Chriſmatis est oleum, qua totum immensa perunxit  
 Gratia, & hinc alius participata fuit.  
 Balsama significant sancte bene olentia vite  
 Mumia, & effusam vulneris omnis opem.  
 Vite affertricem mitis notat hostia mortem,  
 Immaculatus (ait quod Petrus) agnus hic est.  
 Apoc. 5. Agnus hic est prima iam mundi ab origine casus:  
 Mortis enim virtus tempus ad omne salit.  
 Genes. 4. Agnus hic est, iustus quem primitus obtulit Abel,  
 Quem longo innuerat tempore Pascha vetus.  
 Exod. 12. Agnus hic est sacri celebratus nomine iugis,  
 Huius & asperso tota cruore domus.  
 Ioan. 1. Agnus hic est, mundi tollens peccata redempti,

Quem digito assignas Prodrome sancte tuo.  
 Agnus hic est septem signacula soluere dignus,  
 Virgineo superum cinctus ubique choro.  
 Agnus hic est, cui cœlituum infinita propago,  
 Elogium pronò pectore grande canit.  
 Talia mille oculis mysteria subdit imago,  
 Ac tepè facta nouo corda calore replet.  
 Nec solum hæc agni dotes & facta recenset:  
 Singula, quòd vobis sint imitanda, monet.  
 Fiat ut agnus, homo purus, mansuetus, & insons,  
 Seq; dicet totum sacrificetq; Deo.  
 Nec conspecta monet solum modo quid sit agendum,  
 Hoc etiam quodam numine plena mouet.  
 Quid mihi numen (ais) memoras? mihi cerea viuit,  
 Vimque aspectanti spirat imago suam?  
 Non ita, sed virtus dono diuina subheret,  
 Fidentesque animos insinuata iuuat.  
 Cur potius (dicet) virtus hic illa? quid obstat,  
 Quo minus insinuent cetera signa parem?  
 Maior ab insigni fiducia munere surgit,  
 Quàm fundat ritus propria forma sacri.  
 Namque Sacerdotem magnum res magna requirit,  
 Legitimas Christi cui dedit ordo vices.  
 Nec quoties, vel quando velit rem condere tantam,  
 Mos veteri acceptus relligione finit.  
 Fas duntaxat ei est, quo sedem ascenderit anno,  
 Annorum & quoties hebdomas inde reedit:  
 Sabbata, que Paschæ vicina vocantur in Albi,  
 Dant proprium, ut sacret, distribuât ve diem.  
 Annorum hic obiter quam multiplicatio caussam  
 Nacta sit, oblata sit ratione palam.  
 Tempus id est, quod Christi genas à fonte recentes,  
 Ma.

Matris ad arcana excipiebat opes.

Quo magis ergo sua nossent compendia sortis,  
Moribus & quales exigit illa, forent.

Iure representant agni pura agmina plures,  
Res quod ibi gesta, notaque verba docent.

Baptizantur enim solenni hæc signa lauacro,  
Inclutus & magna voce Minister ait:

Ad fontes isti veniunt agni ecce nouelli,  
Quos lux clara replet, gratia lausque Deo.

Communis fit letitiæ ratio obuia, sanctum  
Cum populo sancto multiplicauit opus.

Nunc etiam agnorum numerus dispergitur ingès,  
Christigenum ditio quo pia cunque patet.

Numinis hoc pacto datur omnibus ansa rogandi,  
Augeat ut fœtus semper ouile nouo.

Ioan. 11. Nonne Petro Dominus quos credit, nominat agnos?  
Inter & immanis quos iubet ire lupos?

Sed formam his obiter factis subdamus apertam,  
Vnde fidele sacro fidere pectus habet.

Ampla ministrorum stipat procerumque corona  
Pontificem, indutum pontificale decus.

Rem gerit hic Dominus, fretus bonitate mouentis,  
Et placito certam more ferentis opem,

Sat foret auxiliij promissio certa perennis,  
Dum te Christe tuus semper adesse mones,

Matt. 28.

Matt. 18.

Dumque tuo binis vel ternis nomine iunctis,  
Te medium affirmas vota petita dare.

Inde Sacerdoti summo fiducia summa est,  
Officiis nunquam numen abesse suis.

Quodq; petit supplex, Ecclesia tota videtur  
Pocere, quid sponse Christe negare potes?

Hic sed energiam propriam diuinitus addi,

Propria conditio traditioque probat.  
 Longa quoq. omnigeni docet experientia fructus,  
 Expresse aut tacite sic pepigisse Deum.  
 Maximus ergo sacra cum maiestate Sacerdos,  
 Pectore, voce, manu singula pronus agit,  
 Expositus celebri pompa benedicitur agnus,  
 Magnificisq. modis unctio sancta datur.  
 Ille preces recitat mira pietate refertas,  
 Quas veteris ritus formula certa tenet.  
 Postulat in primis sacrati aspectus ut agni,  
 Agnum ad caelestem concita corda leuet:  
 Utque salutifera memores vitaeque necisque,  
 Criminis & vitij noxia vincula terant:  
 Hostis ut insidias stygij ac certamina vincant,  
 Decipulas mundi, carnis & illecebris:  
 Aeterna ut fugiant discrimina cuncta salutis,  
 Et supera nunquam destituantur ope.  
 Obsecrat, ut donis, quae gratis fundit, abundant,  
 Omnibus omne decus spirituale ferant.  
 Omnis ut & virtus & consolatio iugis  
 Affluat, omne pium semper agatur opus.  
 Corporeos nobis morbos casusq. repelli,  
 Praesertim horribiles mortiferosque petit.  
 Nam licet accidere haec sanctis aliquando sinuntur,  
 Tela magis laesi numinis esse solent.  
 Talia sunt virus, pestis, morbusque caducus,  
 Impetus hostilis, parturientis onus,  
 Nec minus & terre motus, incendia, fluctus,  
 Fulmina, tempestas, morsque repente vorans.  
 Hac procul arceri grauiora pericla precatur:  
 Prospera sed vitae, letaq. fata dari.  
 Postremo aethereum saluos ascendere regnum,  
Atque

Virtus  
 agni.

Atque agni placido cominus ore frui.  
 Innumeris liquet exemplis, quæ nemo refellet,  
 Eximias digno cuique valere preces.  
 Dignus at est, qui dignum agno, quæ gestat, honorem,  
 Tum fidei officio, tum pietatis, habet.  
 Sed quia virtutum studium iam rarius harum est,  
 Quid mirum multis irrita signa geri?  
 Iudaicis neque enim sunt utiliora figuris,  
 Imò etiam pœnas ludificata petunt.  
 Gestari ipsa volunt simul extra pectus & intra,  
 Sic demum (ut retuli) commoda magna dabunt.  
 Catholice hic fidei verbis mihi protinus omnis  
 Scrupulus ex animo, moror & omnis abit.  
 Pectore iam toto venerandum exosculor agnum,  
 Hortor & hoc ut idem quisque fidelis agat.  
 Non pudet effigies hominum statuasq. prophanas  
 Mirari, quorum vita fauorq. perit,  
 Nec miseris amuleta piget suspendere collis,  
 Quæ vulgus demens, aut maga finxit anus.  
 Et pudeat pigeatve aliquem sacrosancta colentem  
 Stemmata, diuinis se cumulare bonis?  
 Reiciat spurcosus gemmam perfidus ore,  
 Exerat & sannas ad data sancta canis.  
 Qui variis sordent vitis, gaudentque ferinis  
 Moribus, his potius symbola digna ferant:  
 Qualia sunt vulpes, iygres, pardi atque leones,  
 Congruus aut serpens omnibus ater erit.  
 Demonis hæc proprii est, quæ sponte sequuntur, imago:  
 Insigne hæc domini iure ferunt sui.  
 Iudicij vel si ratio spectanda futuri est,  
 Hedorum effigies hisce ferenda venit.  
 Matt. 23 Nos verò ad dextram sessuros iudicij Agni,

Amuleum  
 remedium  
 est contra  
 veneficia.

Ferr

INSTITVTIONVM [LIB. V. 351

*Ferre agnum, similes cui iuuat esse, decet.*

*Illi (vt Apostolicus vates ait) eius ab ira,*

*Apo. 6.*

*Montibus orabunt se caueisq; tegi.*

*Rex regum ac Dominus Dominantiū vicerit Agnus,*

*Culina qui montis stat super alta Sion.*

*Viuarum ipse suos ad fontes ducet aquarum,*

*Abstergens lachrymas & nocumenta fugans.*

*Ergo Agnus, superi qui templi est unica lampas,*

*Sit nostra interea fida lucerna via.*

CHRISTIANARVM

INSTITVTIONVM

LIBER V.

CAPVT I.

ORATIONIS DOMINICAE

*fusior explicatio.*



**R**ATIO omnis est medium quoddam, quo homo cum diuina maiestate negotia sua confert & pertractat: vnde necessum, vt bonum orandi modum teneat, quisquis cum Deo agere statuit. Sicut enim mens eius atq. sentētia, qui alieno idiomate loquitur, ab eo qui audit nō intelligitur; & qui minus ciuilitate sua proponit, aut parum ad mores & titulos aulicos accommodatē, parum efficit; ita non auditur à Deo, quisquis  
more